

400.

DE

ROMANORUM LAUDATIONIBUS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

HERMANNUS GRAFF

GYMNASII DORPATENSIS PR.

DE
ROMANORUM LAUDATIONIBUS
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ET

AUCTORITATE AMPLISSIMI HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM DORPATENSI

AD GRADUM

MAGISTRI PHILOGIAE

RITE OBTINENDUM

PUBLICICE DEFENDET

HERMANNUS GRAFF
GYMNASII DORPATENSIS PR.



DORPATI.

TYPIS E. J. KAROVII.

MDCCLXII.

rint, eo latius disputandi spatium has res tractaturo esse concedendum, quo magis Romani non solum quod ad percipiendi cogitandique sagacitatem, sed etiam quod ad ipsum literarum ambitum pertineat a Graecis, quibus ut olim rebus gestis sic nunc philologorum studiis arctissime appareant iuncti, superentur.

Me hac in commentatione non ad splendidum quoddam inventum neque ad summam iudicii, quae artem disciplinamque nostram prorsus immutare posse videatur, pervenisse, lubenter fateor. Immo id unum egi, ut res hic illic dispersas quam plenissime colligerem compositasque illustrarem, quod studium minime improbandum esse vel inde apparebit, quod viri praestantissimi, quibus nec me neque alium quemquam philologum compararim, idem de se sunt professi *).

Priusquam ad propositum transeo, non inutile fuerit brevem exhibere conspectum studiorum usque adhuc de laudationibus institutorum.

Eorum erat de funebribus laudationibus agere, qui omnino funera ac luctum Romanorum tractarent. Priorum aetatum scriptorum, quos *Jo. Alb. Fabricius* in bibliographia antiquaria (ed. III. Hamburgi 1760) cap. XXIII, § 4, pg. 1024 nominat, gravissimi coniuncti inveniuntur in *Graevii* thesauro antiquitatum Romanarum tom. XII,

*) Id studium per totam vitam se persecutum esse, ait princeps ille philologorum Chr. Aug. Lobeckius in pagellis novissimo vitae anno ad amicos scriptis, quae typis excusae sunt in novo museo Helvetico I, pg. 66 sqq. atque in appendice ad Lobeckii epistolas ed. a Ludovico Friedländero, Regimont. 1861, pg. 168 sqq.

sunt autem hi: *Jac. Gutherus* de iure manium, cuius libri primi cap. XXIV, pg. 1144 sqq. de laudationibus est, et *P. Morestellius*, pompa feralis sive iusta funebria veterum, libri decem, quorum tertio pg. 1405 sqq. cap. III — VII, laudationes tractantur; aliae illius temporis olim magni aestimatae disputationes extant in *Gronovii* thesauro Graecar. antiquitt. vol. XI: *Joan. Meursii* de funere liber singularis, cuius cap. XXII, pg. 1117 et cap. XXXIV, pg. 1133 huc pertinent, *Jo. Andr. Quenstedii* de sepultura veterum, qui cap. VI, pg. 1256 brevissime atque obiter rem tetigit, *Josephi Laurentii* de funeribus antiquorum, qui cap. I, pg. 1172 aliquot versus mori mortuos collaudandi tribuit. Qui omnes scriptores rem breviter perstrinxerunt, non absolverunt; accedit quod Graecorum, Romanorum, Iudaeorum, Aegyptiorum mores pro suo arbitrio miscent, nullo fere iudicio adhibito. Similis est ratio libri, qui tamen locupletior est et maximam obtinuit auctoritatem atque etiam nunc antiquitatis Romanae studiosis magno auxilio solet esse, cuiusque renovata editio recentibus laboribus aucta facile multis commoda fuerit, *Jo. Kirchmanni* dico libros quatuor de funeribus Romanorum ed. primum Hamburgi 1605, iterum ab auctore Lubecae 1625; hac editione usus sum, illam non cognovi. Vir iste, poeseos et literarum in academia Rostochiensi professor publicus, tum scholae patriae in libera republica Lubecensi rector, illis temporibus inter literatos homines Germaniae maxime florebat. Libri secundi

capita XVIII et XIX, pg. 243 — 257 de funebribus sunt laudationibus atque copiosissimam rerum silvam usque ad nostra tempora exhibuere.

A nostrae aetatis hominibus pauca tantum, quae huc pertineant, composita inveniuntur in *Creuzeri* antiquit. Romanar. compendiaro libro § 288 — 376, pg. 437 — 479 de Romanorum ritu funebri, ibidem § 298, pg. 452 sqq. brevis laudationum inicitur mentio, item in *Beckeri* Gallo III, pg. 266 — 302 (ed. alter.) de sepultura, ac pg. 286 paucis de laudationibus funebribus disseritur. Neque ampliora inveniuntur in *Paulii* encycl., ubi III, pg. 536 — 549 ipse editor de funere agens laudationes pg. 546 brevissime tetigit.

Ex scriptis, quibus funebres laudationes seorsum tractatae sunt, tria illa antiquiora a Fabricio in bibliogr. antiquaria cap. XXIII, § 9, pg. 1033 citata, *Friderici Hallbaueri* historiam laudationum funebrium praemissam decem eius parentationibus editis Germanice Jenae 1724, *Justi Christoph. Boehmeri* prof. Helmstad. exercitationem de orationibus parentalibus tertium editam Helmstad. 1715 et *Caroli Sam. Senfi* dissertationem de concionibus funebribus, Lips. 1689, oculis non vidi, nec tamen crediderim inesse iis res pretii cuiusdam, quum posterior aetas nullibi eorum habuerit rationem.

His nostris temporibus rem tetigit *Fr. G. Doeringius* in commentationibus editis a Wüstemanno Norimb. 1839, ubi pg. 100 — 105 commentationem habes de laudationibus funebribus apud veteres scriptam

a. 1804, non eo consilio, ut in rem docte inquireret, sed ut brevissime exposito Graecorum et Romanorum more et pretio sinceræ laudationis fidei commemorato ad memoriam celebrandam Principis Ernesti secundi Ducis Saxoniae invitaret. Praeterea Gymnasii Regii, quod est Asnidiae, programma a. 1832 ed. pg. 1 — 6 continet commentariolum *C. A. Cadenbachii* de Romanorum laudationibus funebribus, hoc tamen ea maxime spectat, quae minus inter se congruentia a Cicerone de orat. II, 11, 44, Dionys. Halic. antiqq. Rom. V, 17 et Plutarch. Publicola 9 tradantur, additis nonnullis aliis rebus. Praeterea funebres laudationes commemorantur, etsi diligentius ibi de iis disputari non potuit, in historia literarum Roman. (*Baehrii* hist. lit. Rom. II pg. 2. 3. 202, *Bernhardii* Rom. hist. lit. pg. 40, annot. 23, et pg. 174, annot. 128) et, propter querelas de fide historiae laudationibus corrupta editas, ab iis, qui de Romanorum rebus gestis egere. (Primus *Perizonius* animadvers. hist. VI, pg. 207 fidem historicam funebribus laudationibus vitiatam dici, criticis, qui de historia Romana quarerent, esse tenendum monuit. *Niebuhr* hist. Rom. vol. II, pg. 516, *Wachsmuthii* hist. Roman. civit. antiquior. Halis 1819, pg. 12 — 15, *Schwegleri* hist. Rom. I, 1, pg. 16).

Aliae laudationes, quae praeter funebres fuere, etiam minus sunt tractatae, quasi praetereuntes tantum attigere eas iurisconsulti, qui de actionibus in iudiciis publicis egerunt, de testimoniis verba facientes.

Denique quem in fine capitis secundi dedi omnium laudationum conspectum, erunt fortasse, qui futurum fuisse ut in ipso capitis initio magis opportunum teneat locum arbitrentur. At haec distributio quia nova neque adhuc usitata sed ex ipsa, quam institui, disputatione profecta est, etiam in fine suum locum habuerit.

Idibus Maiis a. MDCCCLXI.

CAP. I.

LAUS, LAUDES, LAUDATIO.

Senecae in epist. 102 de his vocibus verba haec sunt: *licet enim vir bonus taceat, sed aliquem judicet dignum laude, laudatus est* ¹⁾. *Praeterea aliud est laus, aliud laudatio. Haec et vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem sed laudationem, cujus officium oratione constat.*

Jam disquisitio est instituenda de hac Senecae distinctione, num recta sit. Jure interpretamur laudem esse commendationem, praeconium, verba, quibus alicujus virtutem testemur. Is est usus vocabuli latissime patens, quod rarius metonymice adhibetur ita, ut rem laude dignam (sive virtutem laudandam ²⁾ significet.

Eadem notio, verbi formam si induit (*ῥηματικὴν*), laudare est, idem ac praedicare de virtute, itaque laudatio ante omnia significat actionem laudandi, — tum vero, ex more linguae Latinae ne optimis quidem temporibus inusitato, ea, quae laudando praedicantur. Mentionem faciam tantum aliquot locorum praecipue eo spectantium, ut Cic. Tuscul. I, 3, 6: *mandare literis cogitationes suas* i. e. ea, quae cogitantur; Cic. ad Attic. XI, 22, 1:

1) In memoriam revocatur similis sententia Cic. de off. 1, 4 extr.: *honestum etiamsi a nullo laudetur, natura est laudabile.*

2) Ita Cic. de off. I, 22: *Vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus.* Cic. ad Attic. II, 25: *plena manu nostras laudes in astra sustulit.*

illud molestius istas impetrationes nostras nihil valere, quocum comparandum, quod paulo antea dixit 20, 1: *quod ego magis gauderem si ista nobis impetrata quidquam ad spem explorati haberent*; seu Cic. de leg. agr. 3, 1, 3: *Sullanarum assignationum possessores*. Itaque laudatio etiam est oratio laudans, id, quod laudando de aliquo praedicatur, neque haec vocis notio ab vocabulorum laus et laudes significatione quidquam videtur differre.

Senecae illo loco interest ut demonstret, claritatem et unius boni viri iudicio contentam esse posse, itaque haec profert: *non ad vocem, sed ad sententiam referunt cum dicunt claritatem esse laudem bonorum a bonis redditam*. Attamen sentit dubitationem moveri posse: *sed laus, inquit, nihil aliud quam vox est, vox autem bonum non est*.

Quod ibi dictum est, ad laudis et laudationis notionem certius definiendam maximi est momenti; ad utramque pertinet, quod Seneca laudationi tribuit: *haec et vocem exigit et cuius officium oratione constat*.

Primaria enim ex significatione et antiquissimo usu laudare idem erat ac vocare, nominare. Ejus rei ex Verrio Flacco testimonium servatum est apud Paul. Diac. exc. ex Festo pg. 118 (Muell.): *laudare ponebatur apud antiquos pro nominare*. Idem Gellius docet noct. Attic. II, 6: *laudare significat prisca lingua nominare appellareque*. Sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari³⁾.

3) Gell. II, 6 nonnullos grammaticos, in quibus Annaeum Cornutum, quaedam Vergilii verba reprehendisse dicit, praecipue Georg. III, 4 et 5: Quis aut Eurysthea durum Aut inlaudati nescit Busiridis aras? quod ita defendit: de inlaudato autem duo videntur responderi posse, unum est ejusmodi: — inlaudatus — finis est extremae malitiae. — Altero modo inlaudatus ita defenditur: — inlaudatus est quasi inlaudabilis, qui neque mentione aut memoria ulla dignus neque unquam nominandus est: —. Gellii doctrina, uti videtur, usus Nonius V, pg. 335: laudare est verbis eferre Vergilius: laudato ingentia rura. laudare enim significat nominare. Verg. Georg. lib III: aut inlaudati nescit Busiridis aras? id est nec nominandi. Plautus captivis: id ut scias, Jovem supremum testem laudo, Egeo.

Simile aliquid locus statim citandus in M. Cornelii Frontonis libro de differentiis vocabulorum significasse videtur; qui libellus, ut nunc est jejunus, interpretationes modo dubii pretii, modo alias meliores, videlicet glossemata melioris temporis parum sinceram formam servata praebet. In ed. Niebuhriana pg. 285 est: *laus facti instrumentum est, laudatio vero est rerum gestarum relatio*. Prior pars glossae jure corrupta habetur⁴⁾, altera vero testimonio est, quo, quae supra diximus, probari possint.

Bene cum his quadrat, quod eadem vocis stirps invenitur in 'lessus', cujus significatio est lugubris lamentatio, et in voce illa 'lausus' multorum disputationibus celebrata. Apud Ciceron. de legg. II, 23 e log. XII tab. citantur verba: **MVLIERES GENAS NE RADVNTO NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO**. hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris; L. Aelius lessum quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat⁵⁾. Eadem significatio vocis nobis obvia fit in

Item Macrobius Sat. VI, 7: Aut illaudati nescit Busiridis aras? hoc enim verbum, illaudati non est idoneum ad exprimendam accleratissimi hominis detestationem, qui quod homines omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione execrationeque totius humani generis est dignus. — Altero modo illaudatus ita defenditur: laudare significat prisca lingua nominare appellareque, sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari. Illaudatus ergo est quasi illaudabilis, id est, nunquam nominandus.

4) Ex Butmanni conjectura corrigendum: facti unius mentio est. At si ejusdem libelli glossam pg 283 ed. Nieb. comparamus: 'Honor dignitatis consummatio vel privatim vel publice. laus secunda existimatio recte factorum' potius emendari possit: laus facti existimatio est. Sed non solum hoc loco eiusmodi 'instrumentum' obvium nobis fit, ibid. pg. 283 invenitur: Decus est instrumentum cujusque, gloria quasi honoris merces.

5) Eadem legis verba paulo post cap 25 iterantur. Cic. Tusc. II, 22 ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro: eiulatus ne mulieri quidem, et hic nimirum est lessus, quem XII tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt.

Hoc Ciceronis loco multi pro 'lessus' legunt flatus, ita etiam Orelli. Quae

Planti Trucul. IV, 2, 18: *Thetis quoque etiam in lamentando lausum fecit filio*, ubi alii non lausum sed lessum legunt ⁶⁾. Varro apud Non. I, pg. 48: *Varro Meleagris: funus exequiatis laude ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est περιδειπνο: quo pransi discedentes dicimus alius alii vale pro laude'*, cum lausu' seu lauso' ex conjectura Jani Guilielmi in Gruteri lampad. legendum. Orellii inscript. 555, monument. Scipion. - - - - ANNOS GNATVS XX IS

L MANDATVS NE QVAIRATIS HONORE
QVEI MINVS SIT M

Visconti in area L literam animadvertens lausis-lessibus coniecit, Grotefend. lausibus [grammat. Lat. II, pg. 196], Orelli laudi, Lanzi (Saggio di ling. Etr. I, pg. 114) T . . . EIS animadvertisse sibi visus terreis suspicatus est, quod etiam Corsen probabile duxit. Lausus igitur quamvis parum firmis testimoniis illis locis probari potuit, tamen aliis locis etiam, etsi ita ut certa vocis notio vix possit perspicui, legitur. Formam cognominis puto. Lausus ex Ovid. fast. IV, 55 nomen est fratris Iliæ seu Rheæ Sylviae, filii Numitoris a patruo Amulio interfecti. Idem nomen est filio Mezentii ⁷⁾ ab Aenea occiso, teste Verg. Aen. VII, 649. X, 790. 810. 814. 839. 863. 902. Etiam in inscriptionibus Lausus cognomen invenitur, Grut. 333, 7: L. La-

tamen vox nullam postulavit interpretationem, praeterea certissimis verbis locus ille XII tabularum esse significatur. Teste Mureto var. lect. IX, 19 'lessus' etiam in nonnullis codicibus manu scriptis invenitur.

6) cf. edit. varias Plautin. comoedd.; Fleckeisenii in Philol. XI pg. 189 edita de Plauti loco sententia Mercieri emendationem (in Nonium pg. 103) 'pauam' pro 'lausum' codicum legentis laudat, iam a Bothio in editione sua Plauti receptam. Lausum in lessum mutasse videtur Bentleius ita versus ad Cic. Tusc. I, 49 recitans.

7) Auct. de orig. gent. Rom. cap. 15: Itaque vino ex omni vindemia Jovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio, interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coegerunt. — ut docet Julius Caesar lib. I itemque Aulus Postumius in eo volumine, quod de adventu Aeneae conscripsit atque edidit. Cf. Krause frgm. hist. Rom. Berol. 1833, pg. 131.

berius Lausus et Murat. 102, 1: M. Sanquinius M. f. Pal. Lausus.

Item, uti opinor, nomen Clausi, qui Claudiae gentis patri-
ciae auctor fuisse fertur, huc referendum est, ita quidem, ut
litera, gutturalis quae vocatur, ante liquidam exciderit. Ea enim
si tenemus, quae Prisc. inst. grammat. I, 38 (ed. Keil.) de l litera
prodit: *L. triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet: exilem,
quando geminatur secundo loco posita, ut ille, Metellus'; plenum,
quando finit nomina vel syllabas et quando aliquam habet ante se
in eadem syllaba consonantem, ut, sol, silva, flavus, clarum',
medium in aliis, ut lectum, lectus'* — facile intelligemus in ejus-
modi vocibus, qualis Clausus est, l literam plenum habuisse
sonum itaque mutam antecedentem non difficile potuisse abici.
Gutturales c et g ante liquidas l, n, r, quas solas antecedere
potuere, in nonnullis vocibus interdum decidisse, jam saepius
animadversum est: ante n: gnatus — natus, gnarus, gnariga-
vit — narrare, ignavus — navus, gnotus — notus, cognosco —
nosco, cognomen — nomen, ignobilis — nobilis, gnitus — nitor,
gnixus — nixus, γνόφος, κνέφας — νέφος, nubes; ante r: 'gruo
(in-et con-gruo) — ruo; ante l: clamare — lamentum, γλάγος,
γάλακτος — lac, lactis, γλυκός — lucens, glaber — labor ⁸⁾. Itaque
etiam initio stirpis vocum illarum, de quibus verba facimus,
laud — gutturalis decidisse videtur, ducimurque ad stirpis formam
clu-o, clueo ⁹⁾, quae apud Graecos quoque, ne aliarum linguarum
mentionem faciam, obvia nobis est, κλέος, κλέω, κλύω.

8) Fleckeisen in Phil. XI pg. 190 de Terentii adolph. IV, 3, 14—16
disserens demonstrare studet 'claudier' errore quodam locum obtinuisse vocis 'clu-
dier' e Bentleii coniectura pro 'ludier' positae.

9) Non. pg. 87: cluet, nominatur. Lucilius lib. XXX: quia opera Troginus
calix per castra (88) cluebat. Ennius Ambratia: per gentes esse cluebat omnium
miserrimus. Pacuvius Iliona: sed haec cluentur hospitem infidelissimi. Varro Onos
lyras: Pacuvius discipulus dicorporrois fuit. Ennius Musarum: Pompilius clueor.

Seneca loco supra memorato plane atque aperte docet: *nemo dicit laudem funebrem sed laudationem*, quod recte observatum est. Ubicunque enim de ejusmodi orationibus verba fiunt, eo nomine appellantur, tantum Livius VIII, 40 dicit: *vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis*. Jam videri possit Livius hic propriam quandam loquendi rationem, Patavinitatem forsitan ab Asinio Pollione ei obiectam diligenterque postea at frustra investigatam, adhibuisse, nisi idem ille II, 60 et V, 50 laudationem hac usitata voce nuncupasset. Laudatio si usu stabilitum nomen ejusmodi orationis funebris est, laudes restat ut significant argumentum eorum, quae laudatione memorantur ¹⁰⁾, non aliter Plinius hist. nat. VII, 43: *Q. Metellus in ea oratione, quam habuit supremus laudibus patris sui L. Metelli — — scriptum reliquit*, item Liv. II, 47: *idem in utroque laudator, cum concedendo illis suas laudes, ipse maximam partem earum ferret* ¹¹⁾. Eum igitur sensum, ut laudes ea, quae oratione praedicentur, significant, etiam Livius spectasse videtur ubi hanc vocem adhibuit conquerens, rerum gestarum memoriam saepius nimis laudibus in laudationibus funebribus editis vitiatam esse. Qua in re etsi ea verborum junctura, ut funebres laudes dicantur, Livii propria est, tamen, si supremas laudes illas et funebrem laudationem aliorum spectas, vix audacius dicta videri possit.

Itaque usitatam fuisse appellationem ejus orationis, quae laudes praedicaret, laudationem; ipsas laudes fuisse, quas laudatio exhiberet, stirpem earum vocum eandem atque Graecorum

10) Cic. ep. ad fam. III, 10, 6: *Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quominus Romam ad laudem tuam mitteretur?* Hic jam distincte laudationem in senatu fuisse intelligimus, de qua Cicero locutus est.

11) Postea aperte laudes dicebantur pro laudatione, nonnullas tantum memoro: M. Cornelli Frontonis: laudes fumi et pulveris, laudes negligentiae; Q. Aurelli Symmachi: laudes in Valentinianum, laudes in Gratianum Augustum, laudes in patres.

κλέος cognatorumque vocabulorum, primariam significationem vocandi appellandive habuisse et acque atque apud Graecos ad priorum nominum formationem esse adhibitam; denique, Livium loco memorato VIII, 40 non a Latino more dicendi decessisse, demonstrasse nobis videmur.

CAP. II.

LAUDATIONES PRO CONCIONE, IN SENATU HABITAE, JUDICIALES.

Praeter funebres laudationes aliae etiam ex Romanorum more habebantur. Quintilianus eo loco ¹²⁾, ubi de laude et vituperatione fuse ac diserte agit, illis laudationes adjungit in judiciis habitas, quas Suet. Aug. 56 aperte judiciales vocat. Tertium laudationis genus efficiebat laudatio, quae ad virtutem bellicam exornandam pro concione militum habebatur; de ea, cujus interdum etiam apud Romanos fit mentio, copiosissime docemur a Polybio celebratissimo illo sexti libri loco ¹³⁾, quo Romanorum poenas ac praemia militaria enarrat; omnia ibi ille, uti peregrinus, accuratius observaverat, quam Romani, qui negligentes in suis rebus enarrandis multa praetermisere.

12) Quintil. instit. orat. III, 7: et laudare testem, vel contra, pertinet ad momentum judiciorum, et ipsis etiam rebus dare laudatores licet.

13) Polyb. hist. VI, 37: *καλῶς δὲ καὶ τοὺς νέους ἐκχαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. ἐπειδὴν γὰρ γένηται τις χρεῖα καὶ τινας αὐτῶν ἀνδραγαθήσῃσι, συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου, καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντάς τι πεπραχέναι διαφέρον, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἐκάστου λέγει, περὶ τε τῆς ἀνδραγαθίας, καὶ τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχει τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνημῆς ἄξιον, μετὰ δὲ ταῦτα κ. τ. λ.*

1. Polybio auctore, ubi proelium aliquod erat commissum ac juvenes aliqui fortiter se gesserant, imperator advocato in concionem exercitu, productis prope se iis, quorum prae ceteris virtus insignis extiterat, primum quidem singulos illorum laudabat ob fortitudinem et si quid aliud in eorum vita fuisset, quod commemorari cum ipsorum laude posset; deinde alia etiam praemia atque insignia, hastas, coronas, cet. distribuere solebat. His praemiis milites, aequae cives ac socii, donabantur. Ita Laelius simul cum Masinissa a Scipione ob virtutem bellicam et insignia facta militaria collaudatus est ¹⁴⁾, ita Jugurtha a Scipione ad Numantiam ¹⁵⁾. Juvat memorare Scipionem Masinissam prius frequentem praetorio egregiis laudibus celebrasse, postero die, ut ejus dolorem de morte Sophonisbae mitigaret, solemnius concione advocata e tribunali idem iterasse ¹⁶⁾.

2. Alius mos antiquis temporibus usitatus, etiamsi rarius ejus incitur mentio, erat, ut ii, qui ad magistratum curulem, quo jus imaginum obtinebant, designati essent, in prima, quam habebant, concione non solum gratias ob semet creatos agerent sed etiam majorum gloriam laudibus extollerent ¹⁷⁾. Caesarum

14) Liv. XXX, 14: Ibi concione advocata Masinissam, primum regem appellatum, eximiiisque ornatum laudibus, aurea corona. — — donat. — — Laelium deinde, et ipsum collaudatum, aurea corona donat. Liv. XXVI, 48: Tum (Scipio) reliquos — donavit: ante omnes C. Laelium praefectum classis — omni genere laudibus sibi ipse aequavit.

15) Salust. Jug. 8: postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia et ipse reverti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro contione Jugurtham in praetorium abducit, ibique cet.

16) Liv. XXX, 14: Haec secum volutanti (Scipioni) Laelius ac Masinissa supervenerunt. Quos quom pariter ambo et benigno vultu excepisset, et egregiis laudibus frequentem praetorio celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic alloquitur: — — 15. postero die, ut a praesenti motu averteret animum eius, in tribunal ascendit, et concionem advocari iussit. Ibi Masinissam — eximiiis ornatum laudibus — donat.

17) Cic. de leg. agr. II, 1: Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ei, qui beneficio vestro imagines familiae suae consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude

temporibus hic mos sensim evanuisse videtur, Tiberio enim placuit admonendo morem restituere ¹⁸⁾.

3. Praeter patronos et advocatos, qui defensorum partes susceperant, cum testibus, qui proprie dicebantur, alii etiam homines reo aderant, quorum dicta non certum quendam spectabant casum, non ad singula causae momenta stabilienda edebantur, sed qui, omnino ut de rei vita moribusque dicerent, apparuerant ¹⁹⁾, hi laudatores appellabantur ²⁰⁾. Spectat hunc morem antiquum Fronto ad amic. ep. I, 1: *iste in ipsis iudiciis mos inveteratus erat, causa peracta, laudatores adhibere, qui id quod de reo existimarent, pro sua opinione cum fide exprimerent.* Quorum dicta nominatim testimonia vocantur: Cic. pro Flacco 15, 36: *Tu vero tibi habeto istam laudationem, nec enim Acmonensium testimonio Flacci vita et dignitas nititur*, et Cic. pro M. Fonteio 7, 16: *quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos jam laudatore et teste utemur* ²¹⁾.

conjungant. Qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur, plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum esse videatur, unde etiam quod posteris solveretur redundaret. Mihi Quirites apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quo non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari atque honoris vestri luce caruerunt. His tamen verbis non statuitur, cum tantum, qui consul designatus jus imaginum obtinisset, hanc orationem habuisse, sed ii etiam, qui hoc jure jam usi sunt, ad majorem honorem ubi designati erant, in prima concione de majorum gloria verba faciebant.

18) Sueton. Tiber. 32: Praetorem conlaudavit, quod honore inito consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi.

19) laudatores vocantur periculi deprecatores: Cic. pro Balb. 18, 41; qui periculum deprecantur: Cic. pro Sest. 4, 9; innocentiae testes: Cic. pro Flacco 25, 64; defendunt amicum, adsunt supplicii: Cic. pro Sulla 29, 81.

20) Cic. pro Cluent. 20, 56. 40, 110. 69, 196. Cic. pro Flacco 26, 61. Cic. in Verr. act. sec. V, 22, 57. II, 5, 13. IV, 9, 19. Cic. pro Font. 7, 16. Cic. pro Balbo, 18, 41. Fronto ad amic. ep. I, 3.

21) Cic. pro Sest. 4, 9: eidem homines nomine commutato coloni decurionesque, fortissimi atque optimi viri, beneficium P. Sestii testimonio declarant, periculum decreto suo deprecantur. Cic. pro Planco 11, 27: L. Flaccus, qui homo, qui civis! qualem hunc putent, assiduitate testimonioque declarant. Cic. pro Cluent. 47,

Hae laudationes, teste Suetonio ²²⁾ etiam judiciales dictae, non multum differebant ab iis literis, quae a provinciis magistratui decedenti gratiarum agendarum causa Romam mittebantur; his etiam id tribuebatur ut malae famae seu irritatis senatorum populivae animis occurrerent, propterea earum interdum fit mentio ²³⁾. Consentaneum est et magistratuum provincias administrantium auctoritatem in efficiendis his laudationibus gratias agentibus et eorum successores in iisdem impediendis multum valuisse, quod, unum exemplum ut afferam, Appius Claudius de Cicerone suspicatus est ²⁴⁾. Augustus nimiam ejusmodi literarum gratias agentium copiam coercendam esse ratus edixit, ne intra sexaginta dies, ex quo magistratus decessisset, laudationes e provinciis fierent ²⁵⁾. Ultimum hujusmodi lauda-

132: Et eundem Popilium postea Lentulus in ambitus iudicio pro testimonio diligentissime laudat. 69, 196: Itaque iis eum verbis publice laudant, ut non solum testimonium suum iudiciumque significant, verum etiam curam animi ac dolorem. Cic. in Verr. act. sec. II, 46, 114: Hunc civitates ex Sicilia permultae testimonio suo legationibusque ad eam rem missis publice laudant.

22) Suet. Aug. 56: Cum Asprenas Nonius artius ei junctus causam veneficii, accusante Cassio Severo, diceret, consuluit senatum, quid officii sui putaret; cunctari enim se, ne si superesset, eripere existimaretur; et consentientibus universis sedit in subselliis per aliquot horas, verum tacitus, et ne laudatione quidem iudiciali data.

23) Cic. in Verr. act. sec. II, 4, 12: Minari Siculis si decrevissent legationem, quae contra istum diceret: minari si qui essent profecti: aliis, si laudarent, benignissime promittere.

Cic. ep. ad fam. III, 8: Nam quod ad legatos attinet, hic ego — cogitavi — Appium Claudium senatui populoque Romano non Midaensium testimonio — sed sua sponte esse laudatum; cet.

24) Cic. epist. ad fam. III, 8 (data Appio Claudio, cujus Cicero in provincia successor erat, a. u. 703). Omnis epistola id egit, ut Ciceronem excusaret, qui legatis ad Appium laudandum missis impedimento fuisse haberetur: 'hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem tralatitium est.' Ibid. 10, 6: (scripta eidem Appio Claudio a. u. 704) sed tamen significatur in tuis literis suspicio quaedam et dubitatio tua — —. Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quominus Romam ad laudem tuam mitteretur?

25) Dion. Cassii hist. Rom. LVI, 25: οὐ μὴν ἀλλ' ἐκαῖνό τε ἀπεῖπε, καὶ τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγελε μὴδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων

tiones memorantur ubi imperatore Nerone vetitae sunt ²⁶⁾. Quoad mos eas mittendi valuit, per legationes ad id missas ad senatum, qui eas haud raro ne audivisse quidem videtur ²⁷⁾, ferebantur, quod apparet ex epistola Ciceronis ad Appium scripta ²⁸⁾. Etiam certum tempus iis videtur statutum fuisse, quum a. u. 687. 67 lex Gabinia praeciperet, ut per totum mensem Februarium quotidie in senatu legationes acciperentur ²⁹⁾.

Majorem vim habebant inter cives laudationes judiciales, quae multis in rebus cum laudationibus gratum animum testantibus convenere. Quae judiciales laudationes et a singulis et a civitatibus collegiisve proferri poterant; ita docemus Ciceronis oratione pro Fonteio habita ³⁰⁾ multos et Romanos et Gallos

μήτε ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μήτε ἐντὸς ἐξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφας τιμὴν τινα διδόναι ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προπαρασκευάζομενοι πολλὰ διὰ τοῦτου ἐκακούργουν.

26) Tacit. annal. XV, 20—23: Claudius Timarchus Cretensis reus agitur — — — quod dicitasset in sua potestate situm an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, grates agerentur. quum occasionem Paetus Thrasea ad bonum publicum vertens — haec addidit: „ — — nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibebitur.“ magno assensu celebrata sententia —. mox auctore principe sanxere ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum propraetoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.

27) Cic. ep. ad fam. III, 8: deinde me ita vidisse accidere multis, ut eorum causa Romam venirent, sed his legationibus non meminisse me ullum tempus laudandi aut locum dari.

28) Ibid.: Neque eram tam desipiens, ut privatae rei causa legari putarem, qui et tibi non privato et pro re non privata sua, sed publica, non in privato sed in publico orbis terrae concilio, id est in senatu, ut gratias agerent, mittebantur.

29) Cic. ad Quint. frat. II, 13: Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quominus habeat senatum, et, quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis senatum quotidie dari: ita putantur detradi comitia in mensem Martium.

Cic. ad fam. I, 4: senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam — id, quod scis — non potest; neque mense Febr. nisi perfectis aut rejectis legationibus.

30) Cic. pro Font. 14, 32: ut — omnes in Gallia, qui sunt socii populi

Fontejum juratos privatim et publice laudasse; quo loco vox 'privatim' indicat, singulos homines sua sponte, 'publice' vero, alios a civitatibus missos id fecisse³¹⁾. Consentaneum est ejusmodi testimonia, quomodo reus sese et magistratum gessisset, a civitatibus, praecipue ab illis, quarum res in judicio tractabantur, prolata majorem habuisse vim, quam quae singuli privatim edidissent. Itaque illorum praecipue fit mentio. Quod Quintilianus docet³²⁾, testimonia dici aut per tabulas aut a praesentibus, idem de laudationibus judicialibus valet, quas ut supra monstravi, nominatim inter testimonia Romani referebant. Itaque primum nobis agendum de laudationibus, quae dicebantur a praesentibus. Laudationes ejusmodi Cicero in animo habuisse videtur in oratione pro Fonteio 14, 32 (Orell.) praeter civitates, quae laudationes miserant per legatos³³⁾. Nonnullae civitates non laudationem decretam in libellis, sed legatos, qui praesentes laudarent, miserunt: Cic. pro Cluent. 69, 197, aliae utroque genere usi sunt. Eodem spectat, quod invenimus apud Asconium in Cicerone. Scaurian. pg. 28 (Orell.): *laudaverunt Scaurum consulares novem — horum magna pars per tabellas laudarunt, qui*

Romani atque amici M. Fonteium incolumem esse cupiant, jurati privatim et publice laudent.

31) Idem fere, quod Cic. in Verr. act. sec. II, 5, 13 dicit: Mamertina civitas, quae publice legatos, qui istum laudent, miserit; et paulo post: alia civitas nulla, iudices, publico consilio laudat; ibid. 15: istum a Syracusanis publice laudari. Cic. in Verr. act. sec. IV, 8, 17: legatus missus, princeps laudationis tuae, qui te publice laudat; — — idem ad vos privatim iudices confugit:

32) Quintil. inst. orat. V, 7: maximus tamen patroni circa testimonia sudor est: Ea dicuntur aut per tabulas, aut a praesentibus.

33) Cic. pro M. Fonteio 4, 7. in annot. ad locum Halimius ex schedis Theodori Oehlerii fragmentum dat: exurgite quae viri optimi atque fortissimi, legati amplissimae atque honestissimae civitatis, resistite per deos immortales eorum perjuriis injuriisque, quorum saepenumero telis restitistis. — 6, 14: Quid Massiliensium civitas? Hunc praesentem iis affecit honoribus, quos habuit amplissimos: vos autem absens orat atque obsecrat, ut sua religio, laudatio, auctoritas aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur.

aberant, unde patet alios praesentes cum laudasse. Alia exempla singulorum, qui laudatores procedunt, consulares sunt Catilinam, ubi etiam honestus habebatur, laudantes: Cic. pro Sulla 29, 81, Metellus Numidicus, qui L. Lucillum sororis conjugem laudare noluit: Cic. in Verr. act. sec. IV, 66, 147, Lentulus Popilius: Cic. pro Cluent. 48, 132, Cn. Tudicius Cluentium: Cic. pro Cluent. 70, 198, Pompejus P. Sestium: Cic. ep. ad fam. I, 9, 7. Praeterea ille a Cicerone in Verrinis³⁴⁾ memoratus decem laudatorum numerus, qui usu quasi legis vim acceperat, imprimis de singulis privatim procedentibus valuisse, illo loco vero a Cicerone ad causam, quae agebatur, sublevandam in civitatum laudantium numerum relatus esse videtur.

Singuli laudatores lege non cogebantur, ut ipsi adessent, sed, id quod civitates laudaturae semper fere faciebant, per tabellas seu tabulas laudare poterant. Quod probatur illo supra memorato Asconii loco in Cic. Scaurian., ubi de novem senatoribus verba fiunt, quorum magna pars, qui aberant, per tabellas laudarunt, et Cic. pro Font. 6, 14 (Massiliensis civitas) *vos — absens orat atque obsecrat, ut sua — laudatio aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur*, neque minus dictis Ciceronis, quae inveniuntur in epistolis³⁵⁾ ad Lentulum et illa re, quae a compluribus scriptoribus narratur, Munatio Planco laudationem Pompeji per tabellas datam ob Catonis pertinaciam non profuisse³⁶⁾. Utrum laudatoribus, sicuti testibus, testimo-

34) Cic. in Verr. act. sec. V, 22, 57: Primum in judiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius ei est nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere: tot in Sicilia civitates sunt, quibus tu per triennium praefuisti; arguunt ceterae; paucae et parvae et metu repressae silent; una laudat:

35) Cic. ep. ad fam. I, 9, 19: recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miseris.

36) Dio Cass. XL, 55 narrat Plancum ob incendium curiae, quod effecisset, populum quum in Milonem, qui Clodium occidisset, incitaret, reum factum nil adju-

nium jurejurando confirmandum fuerit, an hoc soluti fuerint, diversae sunt virorum doctorum sententiae. Escher³⁷⁾ in libro suo de testium ratione scripto nil certi hac de re prodidit; quod alio loco impugnavit, alio concessit³⁸⁾. Theod. Mommsen. censuram hujus libri agens³⁹⁾ tria distinguit testimoniorum genera: primae classi adscribit testimonia coram et a praesente dicta, alteri testimonia per tabulas data, tertiae testimonia publica; ac primi ordinis testimonia jurejurando, alterius septem signis signatorum, tertii nulla re confirmanda fuisse opinatur. Nil nostra hic interest dijudicare, quatenus haec viri sagacissimi distinctio cum jurisscientiae arte et ratione congruat, certum tamen est ipsos Romanos has tres partes non fecisse, eorum sententiam testatur Quintil. inst. orat. V, 7, 1: *testimonia dicuntur aut per tabulas aut a praesentibus* et porro V, 7, 32, ubi dixit: *saepe*

visse, quod Pompejus βιβλίον ἔπαινον τε ἅμα αὐτοῦ καὶ ἱκεσίαν ἔχον ἐς τὸ δικαστήριον ἔπεμψεν.

Plut. Cato 48: Ἐπεὶ δὲ νόμῳ τοὺς εἰωθότας λέγεσθαι περὶ τῶν κρινόμενων ἔπαινος αὐτὸς ἀφελὼν Μουνατίῳ Πλάγκῳ συγγράψας ἔπαινον (Pompejus) ἐπὶ τῆς δίκης ἔδωκεν, ἐπισχόμενος ὁ Κάτων τὰ ὅσα ταῖς χερσὶν (ἔτυχε γὰρ δικάζων) ἐκώλυεν ἀναγιγνώσκεσθαι τὴν μαρτυρίαν.

Plut. Pompej. 55: πάλιν οὖν ἤκουε κακῶς ἐτι δὲ μᾶλλον ὅτι λύσας νόμῳ τοὺς γινομένους περὶ τῶν κρινόμενων ἔπαινος αὐτὸς εἰσῆλθε Πλάγκῳ ἐπαινεσόμενος. κ. τ. λ. Val. Max. VI, 2, 5: Nam cum in senatorem nocentem et infamen, reum iudex sedisset (Cato), tabellaeque Cn. Pompeii laudationem eius continentes prolatae essent, procul dubio efficaces futurae pro noxio, submovit eas e quaestione, legem recitando, qua cautum erat, ne senatoribus tali auxilio uti liceret.

37) J. H. A. Escher, de testium ratione, quae Romae Ciceronis aetate obtinuit. Turici 1842.

38) Cap. V est de jurejurando, quo testimoniorum fides firmanda fuerit. pag. 84: conciones, quae testimonia decreverunt ea jurejurando firmasse nobis non verisimile videtur. pag. 85: Hi legati ergo Alexandrini Gabinii laudationem jurejurando sanxere, — non adeo certum est — legatis, qui iudicibus testimonium aliquod impertirent, missis, id coram iudicibus adjurarent, necesse fuisse.

39) in: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, ed. Caesar und Bergk. 1844. Nr. 58 et 59.

40) l. l. pg. 463.

inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes; locus utrinque; haec enim se pars jurejurando, illa consensu signantium tuetur, id tantum docuit testimonia praesentium jurejurando, per tabellas data absentium septem signis signatorum fidem accepisse. Laudationes judiciales supra vidimus a Romanis prorsus testimoniis adnumeratas esse, id quod a Mommsenio etiam conceditur⁴⁰⁾. Proinde illud, quod de ceteris testimoniis traditum habemus, idem de singulo eorum genere, de laudationibus valere, consentaneum est: si a praesentibus dicerentur, jurejurando opus erat, quod discrete etiam interdum memoratur⁴¹⁾, sin per tabellas dicerentur, septem signa subscriptorum etiam in iis sicuti in aliis testimoniis requirebantur. Jusjurandum coram iudicibus a civitatibus collegiisve exigere non potuisse, facile intelligitur, itaque civitatum et collegiorum fides simili ratione atque in tabulis singulorum absentium firmanda erat, citantur eorum signa⁴²⁾, nihilominus additur etiam jusjurandum. Qua in re tum magistratum, qui laudationem decreverint, tum legatorum jusjurandum memoratur. Ubi senatus jurati, qui testimonium decreverint, fit mentio⁴³⁾, conici potest eum pro legibus cujusvis civitatis, jurejurando adstrictum hoc fecisse, sicut etiam Romae,

41) Cic. pro Font. 14, 32: ut — omnes in Gallia, qui sunt socii populi Romani atque amici M. Fonteium incolumem esse cupiant, jurati privatim et publice laudent.

42) Cic. pro Flacco 15, 36: idem (Asclepiades) laudationem, quam nos ab Acmonensibus Flacco datam proferebamus, falsam esse dicebat; — — — nam ut signum inspexit — — 16, 37 — — nostra igitur laudatio, — — — consignata creta est: in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum, ceram esse vidimus.

43) Cic. pro Flacco 7, 17: Ego testes a Sicilia publice deduxi; verum erant testimonia non concitatae contionis sed jurati senatus. Cic. pro Archia poet. 4, 8: adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, hujus iudicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heraclensem dicunt. Quum accusator tabulas Heracliensium publicas desideraret belli temporibus incendio deletas, Cicero ineptum esse ejusmodi desiderium contendit: quum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque.

quamquam in gravissimis tantum causis, senatus agebat juratus⁴⁴⁾. His bene ordinatis civitatibus concitata Graccorum contio opponitur⁴⁵⁾, cujus psephismata sine jurejurando facta sunt⁴⁶⁾. Aliud erat testium jusjurandum, quod coram iudicibus fieri debebat. Ejusmodi jusjurandum, quale a testibus exigebatur, etiam legatos jurasse puto, non quo laudationi, quam in tabulis attulissent, signis jam satis comprobatae fidem adderent, sed ut ea, quae ex mandatis coram dicturi essent, confirmarent. Tantum hac ratione conciliari inter se posse mihi videntur ea, quae de juratis legatis minus inter se congrua tradantur⁴⁷⁾.

Laudationes per tabulas plerumque mittebantur a civitatibus et rei id agebant, ut earum quam plurimas sibi compararent⁴⁸⁾; hac de causa praecipue commemoratur unam fuisse Mamertinam laudationem a Cic. in Verr. act. sec. V, 22, 57. Tradebatur laudatio per legatos cum ad finem Romam missos; id ex more fieri solebat, sed uti legati memorantur laudationis causa missi, qui aperte dicuntur verbis mandata peregrisse⁴⁹⁾,

44) Liv. XXVI, 33: Plebes sic jussit: quod senatus juratus, maxima pars, censeat, qui assidetis, id volumus jubemusque.

45) cf. Cic. pro Flacco 7, 17 ad annot. 43 laud.

46) Cic. pro Flacco 5, 15: Sic sunt expressa ista praeclara, quae recitantur psephismata non sententiis neque auctoritatibus declarata, non jurejurando constricta sed porrigenda manu profundendoque clamore multitudinis concitatae.

47) Cic. in Verr. act. sec. II, 5, 13: unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae publice legatos, qui istum laudarent, miserit. Ejus autem legationis, principem, civitatis nobilissimum civem C. Heium, juratum dicere audistis —

Cic. pro Rab. Post. 11, 31: legatos Alexandrinos Gabinii laudatores vocat, eos pejerasse dicit. 13, 36: ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures deos juret, non oportet. Unde sequitur, eos jam antea jurasse, alias pejerasse eos dici non potuit.

48) Cic. pro Flacco 26, 61: Adspiciant hunc florem legatorum laudatorumque Flacci ex vera atque integra Graecia.

Cic. in Verr. act. sec. II, 46, 114: Hunc (Verriam) civitates ex Sicilia per multae testimonio suo legationibusque ad eam rem missis publice laudent, te — una Mamertina civitas.

49) Cic. pro Cluent. 69, 197: Non illi in libellis laudationem decretam miserunt, sed homines honestissimos, quos nossemus omnes, huc frequentes adesse

ita etiam laudationes reo traditas, neque legationem missam esse, docemur⁵⁰⁾. Hac de re Mommsen. in censura libri jam citati pg. 461 in errorem incidisse videtur, qui putat locis Ciceronis pro Flacco 15, 36. 16, 37 non demonstrari interdum etiam testimonia decreta et laudationes ab ipsis partibus, nulla legatione missa, delata esse. *Testimonium accusatori dari*, argumentatur, etiam significare posse accusatorem obtinuisse, ut testimonium decerneretur, neque his verbis negari legatos delectos esse, praeterea etiam apertam fieri mentionem legati Aemonensium, Asclepiadis, qui ex partibus accusatoris steterit. Hoc vero sensu verba, *testimonium dari* loco allato usurpata esse negaverim. Habemus enim laudationem ab Aemonensibus pro reo decretam et testimonium ab iisdem contra reum editum; testimonii auctoritatem Asclepiades legatus tuetur contendens laudationem falsam esse, temporis causa Flacco datam. Quae quum ita sint, fieri non potest, ut credamus Asclepiadem utrumque testimonium detulisse aut missum esse ad utriusque auctoritatem defendendam, nam Flaccus non nuntium acceperat, laudationem esse decretam, sed ipsa haec laudatio, quae ab Aemonensibus creta consignata erat, in manibus ejus fuit. Itaque hac in causa et laudationem reo per tabulas sine legatione missam habemus, et testimonium, quod legatus pro accusatore detulit. Ejusmodi legationes, quales etiam ad causam explicandam testimonium vedandum mittebantur⁵¹⁾, nobilium hominum erant⁵²⁾ a senatu vel decurionibus civitatum decretae⁵³⁾, in oppidis

et hunc, praesentes laudare voluerunt: Adsunt Ferentani — Marrucini cet'. Jam videri possit quum antea studii, benevolentiae, curae vicinorum mentio sit facta, non civitates misisse laudatores; at illa decreta laudatio et paulo post enumerati Ferentani, Marrucini, alii satis diserte rem indicant.

50) Cic. pro Flacco XV, 36 cit. in annot. 42.

51) Cic. pro Archia poet. 4, 8 et saepius.

52) Cic. pro Balbo 18, 41: laudatores ad hoc iudicium, summos homines ac nobilissimos, — missos videtis.' M. Caelium equites Romani laudavere: Cic. pro

vero Graccorum more ordinatis e psephismate ortae⁵⁴). Sumptus etiam imponebant legationes civitatibus⁵⁵), viaticum enim legati⁵⁶), etsi nimii sumptus lege Cornelia coercerentur⁵⁷), accipere solebant. Summum in legatione locum orator, qui princeps vocabatur legationis⁵⁸), tenebat. Ipsa laudatio scripta et obsignata⁵⁹) coram legatis surgentibus recitabatur⁶⁰). Qua in re legatorum non solum id erat, ut tacentes laudationem scriptam deferrent, sed praeterquam quod ea, quae in laudatione declarata essent, firmabant, ipsi quoque haec interpretari atque amplificare poterant. Ni ita res sese habuisset, cur eloquentia

Caelio 2, 5; Verrem vir amplissimus civitatis: Cic. in Verr. act. sec. IV, 8, 17. Singuli etiam laudatores quam nobilissimi erant, Catilinae in causa consulares: Cic. pro Sulla, 29, 81.

53) Cic. pro Cluent. 69, 197: ex lacrimis horum (laudationis legatorum), iudices, existimare potestis omnes haec decuriones decrevisse lacrimantes.

Cic. pro Sest. 4, 9: et hoc tempore eidem homines nomine commutato coloni decurionesque — beneficium P. Sestii testimonio declarant, periculum decreto suo deprecantur. Cic. pro Flacco 7, 17: testimonia — jurati senatus.

Cic. in Verr. act. sec. IV, 64, 144: etiam hoc me docent, eiusmodi senatus-consultum fecisse laudationis, ut —

54) Cic. pro Flacco 6, 15: sic sunt expressa ista praeclara, quae recitantur, psephismata, non sententiis neque auctoritatibus declarata — sed porrigenda manu profundendoque clamore multitudinis concitatae, — 7, 17: porrexerunt manus: psephisma uatum est. Hoc testimonium est?

55) Cic. ep. ad fam. III, 8, 2: Nam quod ad legatos attinet, quid a me fieri potuit aut elegantius aut justius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuae, praesertim ipsis civitatibus postulantibus et 10, 6: ad me adire quosdam memini, nimirum ex Epicteto, qui dicebant nimis magnos sumptus legatis decerni: —

56) Cic. pro Flacco 6, 14: Adjunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione terreret, qui domi stare non poterant, largo et liberali viatico commoveret. 8, 18: egentes et leves spe largitionis et viatico publico — prolectat.

57) Cic. ep. ad fam. III, 10, 6: censui sumptus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. De qua lege cf. indicem legum in Orellii onomast. Tullian. III, pg. 163.

58) Cic. Verr. act. sec. IV, 67, 150. IV, 8, 17. V, 22, 57.

59) Cic. pro Flacco 16, 37. Cf. annot. 42.

60) Cic. pro Cluent. 69, 196: Quae dum laudatio recitatur, vos, quaeso, qui eam detulistis, assurgite.

eorum laudaretur aut quare loquentes introducerentur⁶¹)? Escher, num laudationis causa missi legati sicuti alii testes interrogari potuerint, dubitat⁶²) propter ea, quae de Heio in Ciceronis Verrenis prodantur. Hejus enim Mamertinae civitatis legatus ad Verrem laudandum missus dixit Verri navem onerariam maximam Messanae publice coactis operis esse aedificatam⁶³), et insuper Verrem sibi non solum bona sua verum etiam sacra deosque penates a majoribus traditos ex aedibus eripuisse⁶⁴). Facile intellectu est Heium haec non ex mandato legationi dato, sed, quod ipsum disertis verbis proditur, ab accusatore interrogatum dixisse. Cum vero Cicero ipse dixerit⁶⁵): *produxi eum prima actione*, Escher Heium separatim a Cicerone productum esse testem arbitratur, quocum bene conveniat, quod suum testem cum vocaverit⁶⁶) et Quintilianus diserte testetur Heium testimonium dixisse post perlatam legationem⁶⁷). Itaque satis patere Heium non legatum laudatoremve illud testimonium iniquum dixisse, sed legatione functum privatim a Cicerone productum testem; si vero laudatione perlata de hac ipsa interrogare Heium Ciceroni licuisset, non esse, quomodo Ciceronem hoc non fecisse sed Heium separatim, ut suum testem, produxisse explicemus, praesertim quum Cicero Heium productum etiam de civitatis Mamertinae rebus interrogaverit. Ita fero Escher. At Ciceronis verba in Verr. act. sec. IV, 9, 19 haec sunt: *tametsi quae est illa laudatio, cum laudator interrogatus*

61) Eloquentia legati laudatur a Cic. in Verr. act. sec. II, 64, 156. Legati Aemonensium citantur, procedit Asclepiades et verba facit, testimonium praeterea per tabellas accusatori datum est: Cic. pro Flacco 15, 34.

62) de tertium ratione, pg. 116.

63) Cic. in Verr. act. sec. IV, 8, 17.

64) ibid. 7, 16.

65) Cic. in Verr. act. sec. IV, 7, 16.

66) Cic. in Verr. act. sec. IV, 9, 19.

67) Quintil. inst. orat. VII, 4, 36.

laedat necesse est? Ita loqui Cicero prorsus non potuit, nisi laudatorem interrogandi potestas erat. Similiter idem IV, 67, 150: *laudent te jam sane Mamertini, quoniam ex tota provincia soli sunt, qui te salvum velint, ita tamen laudent, ut Heius, qui princeps legationis est, adsit, ita laudent, ut ad ea, quae rogati erunt, mihi parati sint respondere. Ac ne subito a me opprimantur, haec sum rogaturus:* — Hic Heius videlicet non ut privatus homo, sed ut princeps Mamertinae legationis interrogatur; an credamus tantum postulari, ut Heius adsit jam antea testis productus? Quod si ita est, ceteri qui testes non sunt producti item ut interrogentur, quomodo postulari potest? Inde apparere mihi videtur legationem laudationis causa missam aequae ac quaevis alia, quae testimonium deferret, potuisse interrogari. Quum testes interrogari potuerint, consentaneum est, potuisse interrogari eos, qui laudationem deferrent, quia testium loco erant. Sane raro hoc factum esse conici potest inde, quod laudationes judiciales plerumque summam de omni hominis statu disserebant. Quae vero discrepare inter se videntur iis in locis, ubi de Heio relatum legimus, facile nobis solventur Ciceronis in Verr. IV, 7, 16 et 8, 17 verba memoria tenentibus⁶⁸). Inde apparet Heium, ut publice laudaret, ita privatim accusatoris partes egisse. Princeps legationis et interrogari potuit et interrogatus est⁶⁹), ut Ciceronis verba: *haec sum rogaturus* te-

68) Cic. in Verr. act. sec. IV, 7, 16 — produxi Heium prima actione — 8, 17 — adest enim vir amplissimus eius civitatis, legatus hujus iudicii causa domo missus, princeps laudationis tuae, qui te publice laudat; ita enim mandatum atque imperatum est: tametsi rogatus de Cybaea tenetis memoria quid responderit: — Idem ad vos privatim, iudices, confugit: utitur hac lege, qua iudicium est (est lex de repetundis) — 9, 19 — Tametsi, quae est ista laudatio, cum laudator interrogatus laedat necesse est? Quid, isti laudatores tui, non testes mei sunt? Heius est laudator, laesit gravissime. Producam ceteros: reticebunt, quae poterunt, libenter; dicent, quae necesse erit, ingratis.

69) — IV, 67, 150 praeter verba Ciceronis jam supra citata: *haec sum rogaturus*: Navem populo Romano debeantne? Fatebuntur. Praeauerintne praetore

stantur. Quae vero Cicero interrogavit, nihil pertinent ad injuriam Heio allatam⁷⁰); ad hanc explicandam a Cicerone testis jam productus erat et aequae *meus testis* ac ceteri vocari potuit. Ac ne cui mirum videatur, quod Heius et testis et accusatoris partes egerit, Artemo, legatus Centuripinus⁷¹), Hortensio iudice testimonium tam graviter et vehementer dixit, ut magis accusator, quam testis videretur. Sane ii, qui miserunt, non putabant legatum suum unquam, seu interrogatum seu sua sponte ejusmodi res prolaturum esse, quae laudationi non responderent, quamobrem Quintilianus legationem Heii male gestis legationibus annumerat⁷²).

Laudationes sicut alia testimonia delatas esse opinamur. His sub finem actionis post utriusque orationes delatis etiam laudatores, ut ceteri testes, interrogari poterant⁷³). Si posthac in ipsa oratione testimonia et laudationes spectabantur, denuo, ubi opus esse visum esset, recitari solebant⁷⁴).

C. Verre? Negabunt. Aedificavitne navem onerariam maximam publice, quam Verri dederunt? Negare non poterunt. Frumentum ab iis sumpserintne C. Verres, quod populo Romano mitteret, sicuti superiores? Negabunt. Quid militum aut nautarum per triennium dederint? Nullum datum dicent. Fuisse Messanam omnium istius furtorum ac praedarum receptricem negare non poterunt: per multa multis navibus illinc exportata, hanc navem denique maximam a Mamertinis datam, onustam cum isto profectam fatebuntur. 151. Quam ob rem tibi habe sane istam laudationem Mamertinorum —

70) Qua de causa pro certo habeam, quae Cic. in Verr. act. sec. IV, 8, 17 attigerit: *tametsi rogatus de Cybaea tenetis memoria quid responderit*, ea Heium laudatorem interrogatum respondisse.

71) Cic. in Verr. act. sec. II, 64, 156 — qui priore actione ita testimonia graviter vehementerque dixerunt, ut Artemonem Centuripinum legatum et publice testem Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret.

72) Quint. inst. orat. VII, 4, 36: Male gestae legationis apud Graecos et veris causis frequens: ubi juris loco quaeri solet, an omnino aliter agere, quam mandatum sit liceat? et quosque sit legatus? — ut in Heio, qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem.

73) cf. Mommsenium l. l. pg. 469. Verba tamen Quintiliani inst. orat. V, 7, 25 iis temporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur criticis non sunt indubitata.

74) Cic. pro Cluent. 69, 196. Cic. pro Sest. 4, 10.

Quales hac laudationes judiciales decretae et per tabellas missae fuerint, fingere nobis possumus ex ea, quam Cicero servavit⁷⁵⁾, Verris laudatione ex senatusconsulto Syracusanorum facta: *laudaverunt, quod is virgis neminem cecidisset — quod vigilanter provinciam administrasset — quod praedones procul ab insula prohibuisset Verres*. Quam quod Cicero dicit, non esse laudationem sed irrisionem, ea spectat, quae ibi praedicata sunt; haec irridenda putavit, quum unumquidque eorum non solum prorsus contra ac diceretur esse demonstrari posset, sed etiam ita rem sese habere omnibus cognitum esset. Ipse Verres hac laudatione, quamvis mox eorumdem Syracusanorum senatusconsulto rescissa⁷⁶⁾, gloriabatur⁷⁷⁾. Formam hujus laudationis justam usitatamque fuisse, credere licet, tamen alias minus egenas jejunasque fuisse statuamus necesse est, si ea spectarimus, quae Cicero aliis locis⁷⁸⁾ de ejusmodi laudationibus

75) Cic. in Verr. act. sec. IV, 64, 144: atque etiam hoc me docent, ejusmodi senatusconsultum fecisse laudationis, ut omnes intelligere possent non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quae commonefaceret istius turpem calamitosamque praeturam. Etenim scriptum esse ita: QVOD IS VIRGIS NEMINEM CECIDISSET, a quo cognostis nobilissimos homines atque innocentissimos securi esse percussos, QVOD VIGILANTER PROVINCIAM ADMINISTRASSET; cujus omnes vigilias in stupris constat esse consumptas, QVOD PRAEDONES PROCVL AB INSVLA PROHIBVISSET VERRES, quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset.

76) — 65, 145: Postea decernitur ac non varie sed prope cunctis sententiis: VT LAVDATIO, QVAE C. VERRI DECRETA ESSET, TOLLERETVR.

77) — II, 5, 15: Nam quod fortasse non nemo vestrum audierit istum a Syracusanis publice laudari, id vobis alio loco, ut se tota res habeat — demonstrabitur.

78) Cic. pro Cluent. 69, 196. Cic. pro Coel. 2, 5 — idemque nunc lectissimos viros — cum legatione ad hoc iudicium et cum gravissima et ornatissima laudatione miserunt. Cicero ubi dixit de orat. II, 84: nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam aut scribuntur ad funebrem concionem laudationes, ut fere pleraeque fieri solebant, ante oculos videtur habuisse, atque hoc iudicium edidit spectans cum arte compositas forenses orationes. Etiam Quintil. inst. or. XI, 3, 153 dicit: igitur in laudationibus, nisi si funebres erunt, gratiarum actione — laeta et magnifica et sublimis est actio.

prodidit: *significari iis non solum testimonium iudiciumque laudantium, verum etiam curam animi ac dolorem*. Legatis, qui laudationis decretae tabulam deferrent, concessum erat, ut sua oratione eam explerent, amplificarent, vividam redderent. Jam supra dixi in ejusmodi legationibus ad laudationem seu in senatum seu ad iudicium deferendam efficiendis, provincias qui administrarent, multum valuisse⁷⁹⁾, quod Verres, ut unum de multis afferam, Cicerone teste⁸⁰⁾ fecit. Etiam penes successores erat, aut concedere tales legationes aut vetare⁸¹⁾.

Lege Pompeja de ambitu⁸²⁾ a. u. 702. 52 laudationes judiciales vetitae sunt, tamen huic legi non omnes paruisse videntur, ipse enim Pompejus statim post legem perlatam Munatio Planco, quod curiam incendisset et populum in Milonem Clodii percussorem immisisset, accusato laudationem dedit. Postea de laudationibus judicialibus ut usitatis Suetonius in vita Augusti 56 loquitur neque alio modo Quintil. inst. orat. III, 7.

Antequam conspectum apponam laudationum usque adhuc tractatarum laudationesque funebres uberius fusiisque tractem, duas liceat brevibus attingere quaestiones: num in scholis rhe-

79) Cic. pro Flacco 6, 14, cf. annot. 56. Cic. pro Flacco 6, 15, cf. annot. 54. Cic. in Verr. act. sec. II, 64, 156: qui (Siculi) cum a praetore prohiberentur, a quattuor quaestoribus impedirentur — priore actione ita testimonia — dixerunt.

80) Cic. in Verr. act. sec. II, 4, 12. 26, 64. 56, 139. IV, 63, 141. 66, 147.

81) Cic. ep. ad fam. III, 8, 10. cf. annot. 24.

82) Dio Cass. XL, 52: Τὰ δικαστήρια ἀκριβέστατον ἐκ τῶν τοῦ Πομπηίου νόμων συνήγετο. — χρόνον τε τῶ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῶ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσεν. καὶ ὁ δὴ μάλιστα πλείστοις ἐλυμαίνετο τὸ τινὰς ἐπαινέτας ὑπὸ τῶν κρινομένων, δίδοσθαι (πάμπολλοι γὰρ ὑπὸ τῶν ἀξιολύστον ἐπαινούμενοι ἐξηπάζοντο) ἐπηνάρθωσεν, νομοθετήσας μηδένα εἶναι τὸ παράπαν ἐπαινέτην τοῖς τοιοῦτοις γίγνεσθαι. Plut. Caton. 48. Plut. Pompei. 55. cf. annot. 36. Valer. Max. VI, 2, 5 narrat, Catonem tabellas laudationem continentes e quaestione summovisse legem recitando, qua cautum esset, ne senatoribus tali auxilio uti liceret, haec tamen ejus sententia, ex quo lex solum ad senatores pertinuisse videtur, aliorum scriptorum testimoniis non firmatur, orta est ex ipso, quem tractavit, casu, ubi senator reus erat.

torum habitae laudationes genus quoddam fuerint, atque e laudationibus Varronis, quarum incitur mentio, aliquid concludi possit, quod ad nostram pertineat disputationem.

A. Satis constat, artem oratoriam Romanorum in scholis exercitatum esse, ut homines ad actiones forenses pararet⁸³), postmodo, praesertim Caesarum temporibus, ubi publicae eloquentiae rarius locus dabatur, declamationes, quae vocabantur, increbuisse⁸⁴), itaque in scholis multum valuisse eloquentiam, unde in recitationibus et orationibus scriptis nunquam vero habitis deprehenditur. In materia in rhetorum scholis tractata etiam laudationes varii generis fuisse Quintiliani docemur inst. orat. I. III, 7 et Prisciani praexercitamentum cap. VII quod est de laude. Jam Cicero de orat. II, 84, 341 monuit posse accidere, ut laudationes essent habendae de omnibus diversissimisque rebus, non dissimulanter earum originem ad Graecos referens itaque eas in scholis vulgatas fuisse ostendens⁸⁵). Quae Priscianus 'de laude' praecipit, quaeque hac de re passim dispersa in capitibus 'de comparatione' et 'de allocutione' inveniuntur, et rationem et usum inde e Quintiliani temporibus eadem fuisse ostendunt. Proprio suo nomine haec laudationes in scholis habitae non vocantur, neque verisimile est apud Romanos eas suum effecisse genus. Scholasticas eas dicas e dicendi similitudine apud Senec. controv. IV, 28, pg. 307 (ed.

83) Quint. inst. orat. XII, 11, 6: Cicero Pansam, Hirtium, Dolabellam in modum praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque.

84) ibid. 15: Nam ut de nostris potissimum studiis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum (ut de his, a quibus magna in hoc pars aetatis absumitur, taceam) declamitare in schola.

De declamationibus optime docemus Senecae suasoriis et controversiis iisque, quae Quintiliani nomine comprehenduntur.

85) Cic. de orat. II, 84, 341: ut nosmet ipsi Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus hic locus. Antecessere haec: ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis hujus forensis causa laudationes scriptarunt.

Bipont.): *Montanus Votienus — vitium suum, quod in orationibus non evitabat in scholasticis quoque evitare non potuit*' et IV, pg. 267: *in scholasticis declamationibus contra evenit.* Consentaneum est in hisce declamationibus scholasticis variam fuisse occasionem non solum in quadam orationis parte aliquid laudandi sed etiam ejusmodi orationibus, quae totae laudi tributae essent⁸⁶).

Non scholae destinati sed foro, attamen qui ex studiis copiosis scholae, e declamationibus, fluxissent, panegyrici erant. Plinii panegyricus dictus est in consulatu incundo e more antiquo, ut magistratum adepti pro concione majores suos laudarent, quorum tamen laudibus neglectis imperatoris laudes ab eo efferruntur, et hoc exemplum secuti iisdem similibusque occasionibus alii panegyricos, qui extant, dixerunt, Fronto, Eumenius, Symmachus, alii.

Scholasticorum solum in usum delectationemque declamationes illae scriptae fuisse videntur admirationem et imitationem excitatae, quarum Quintilianus facit mentionem: laudes somni, mortis, ciborum et Frontonis laudes fumi et pulveris, laudes negligentiae, laus somni.

Ejusmodi laudationes et laudes scholasticas me diligentius non examinasse neque separatim ex iis finxisse laudationum genus, ab aequis lectoribus mihi, uti spero, vitio non vertetur, praesertim considerantibus a Cicerone de oratore II, 84, 341 dici: *nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad*

86) Ad laudes exhibendas praecipue accommodatae fuisse videntur declamationes illae 'de morte'; at fictae materiae praeterea alio modo de ipsa hac re proponerentur, ut 'de Theodoti poena', 'de Popillio' M. Porcii Latronis (Quint. inst. orat. III, 8, 55. cf. Senec. controv. II, 12, pg. 171 ed. Bipont.). In declamantium usum a Seneca suaserunt VII, pg. 38 sqq. ed. Bip. historicorum de Cicerone elogium collecta sunt.

funebrem concionem. Quom ambitum etsi paullum dilatavi, tamen consulto ita rem tractavi, ut mitterem laudationes intra aedium privatarum parietes habitas.

B. Haud alienum a proposito videatur esse hic attingere quaestionem, quae, etsi ad laudationes Romanorum rectius perspicendas nihil momenti afferat, proximis his annis a viris doctissimis saepius tractata, ut quam maxime omnibus numeris absolutam rem agam, locum teneat. Laudationes dico, quas Cicero in academicis Varronem ipsum inter opera sua enumerantem facit. Ciceronis illa verba sunt ex recentissima editione (Orell. altera) academ. post. I, 3, 8:

Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quo facilius minus docti intellexerent, iucunditate quadam ad legendum invitati; in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophe scribere voluimus, si modo consecuti sumus.

Locum multis ex partibus difficiliorem esse, praeter varia interpretandi conamina criticorum annotationes et curae sunt testimonio. Casaubonus de sat. poesi pg. 202 locum esse lacunosum, omissis nonnullis post laudationibus verbis censuit, cui assensus est Ritscheli in mus. Rhen. ann. 1848 [die Schriftstellers des M. Terentius Varro, pg. 496, annot.]. Ernestius philosophiae, quam lectionem pro codicum philosophiae illis temporibus viri docti maluerunt, transposuit et laudationibus adiunxit, quem secutus est J. G. Schneider [pg. 232, de vita et scriptis Varronis, quae disputatio continetur pg. 217—240, tom. I scriptor. rer. rusticar.]. Transposito versu, qui exciderit et postea iniusto loco impositus sit, L. Krahnere verbis Ciceronis mederi studet [de Varrone ex Marciani satura supplendo, Fried-

laudiae 1846, pg. 18 sqq.], Bernhardius vero [in hist. lit. Rom. ed. alt., pg. 630, annot. 571] praeter omissam quoque a novissimis Ciceronis editoribus ante quo facilius vocem quae, illa quoque verba philosophe scribere voluimus ut subdita eicienda esse docet.

Quae ad locum difficilem perspicendum explanandumque pertinent, antiquiores academicorum Ciceronis enarratores laudationes illas funebres fuisse certissimis verbis contendere, praesertim quum constaret a Varrone ejusmodi laudationem Porciae conscriptam esse: Cic. epist. ad Attic. XIII, 48. Ita Goerenzius in ed. Ciceron. acad. Lips. 1810 pg. 16. Sed utrum haec laudationes nobilium Romanorum morte defunctorum, ut Porciae, in mortem eorum conscriptae, an multis annis post eos mortuos compositae sint, non docuere. Haec virorum doctorum sententia mittenda erat, quia nostro loco, ubi Varro primaria ac gravissima operum suorum usque ad id editorum enumerat, funebres laudationes justum tenere locum vix potuere. Jam Ernestius, qui vocem philosophiae, laudationibus adiunxit, ita egisse videtur, ut laudationes philosophiae eadem illa prooemia antiquitatum significant, prooemia illa laudationes inscripta habeantur. Sed praeterquam quod haec explicatio non nisi post audacem commutationem fieri potuit, Varro, si ita res se haberet, quae in literis efficere studuisset, duobus tantum operibus saturis Menippeis et antiquitatum libris indicaret. Schneider l. l. huic ab Ernestio commendatae emendationi assentiens laudationibus philosophiae Varronis librum de philosophia vel de forma philosophiae significari opinatus est, quod vero voce laudationibus philosophiae fieri vix potuit, et praeterea quid huic libello inter ampliora illa Varronis opera?

Miro modo Fr. Ochler [M. Terentii Varronis saturar. Menipp. rell. Lips. 1844 pg. 74, annot. 3] Ciceronis verba torquet

atque exagitat ut hunc excutiat sensum: — quae quo facilius minus docti intelligerent et iucunditate quadam ad legendum invitarentur, inter laudationes (h. e. dictorum factorumque memorabilium frequente mentione illata) quae ipsae tanquam proemia antiquitatum appellari possunt, (h. e. quibus ipsis antiquaria studia nituntur) philosophiae (h. e. ad illustrandam philosophiam et ad studia ejus commendanda) scribere volumus.' Ita Varronem locutum esse, vix ipse Oehler sibi persuadeat.

Ritschelius, ubi catalogum operum Varronis ex Hieronymi epistolis publici fecit juris [die Schriftstellerei des M. Terentius Varro. Mus. Rhen. a. 1848, pg. 495 sqq.] de Varronis laudationibus locutus est. In catalogo illo ex parte mutilato earum mentio non inicitur, citantur vero XXII libri orationum et III libri suasionum. Ritschelius igitur, etsi Casauboni sententiae, post vocem 'laudationibus' quaedam verba intercisisse favet, eo inclinatur, ut his laudationibus Varronem oratorem significari putet, neque tamen dijudicari posse censet utrum habitae an scriptae solum orationes indicentur.

Diligentissima et ea, quae maximos protulerit fructus, L. Kraehneri est disquisitio (de Varrone ex Marciani satura supplendo. Friedlandiae 1846 pg. 16 sqq.). Postquam acute investigavit, quae sit intima illa philosophia, Ciceronis loco citato laudata, laudationibus logistoricos significatos esse docet⁸⁷), quorum nomine signata titulorum pars non solum, ut Ritschelius doceat, aequales, sed jamdudum etiam demortuos significavit; ita ut nomen inscriptum spectaverit ad rem in logistorico

87) his laudationibus imagines significari non potuisse forsitan praeter Symmachi epist. I, 4: ille Pythagoram — ille Platonem — ille Aristotelem — ille pauperem Curium, — ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit' id quoque doceat, quod imagines ipso Varrone teste paulo post annum urbis 715 compositae sunt, itaque in academicis, quae ante hoc tempus scriptae sunt, dici non potuit, iis (imaginibus) Varronem ad philosophiae studium cives suos adhortari voluisse.

tractatam, ac logistorici apte laudationes possint nominari, quum praecipue mortuorum virtutes iisdem logistoricis celebratae videantur. Postea Kraehner [M. Terentii Varronis Curio, de cultu decorum. Friedlandiae 1851 pg. 17] eandem ita circumscriptis sententiam, ut contenderet singulos libros laudationes, omnes logistoricos vocatos esse.

Eae sunt virorum doctorum de Varronis laudationibus a Cicerone memoratis sententiae. Kraehneri opinioni assentiendum censeo esse, docentis Varronem hoc loco omnia opera usque ad id tempus conscripta lustrare et ita quidem, ut tria gravissima amplissimaque producat. Saturae Menippeae et antiquitates eorum duo exhibent, medium locum, quae nunc est nostra harum rerum notitia, tantum logistorici tenere potuerunt; sed qui eos laudationes appellare potuit? Ne pluris faciam, quod neutiquam omnes notorum e logistoricis titulorum laudes exhibuisse videantur, acgre laudationes appellari potuerunt, quum Varro ipse — quod de Porciae laudatione certissimum est — laudationum aliud genus, funebres, scripsisset — id si facturus erat, ut logistoricos laudationes appellaret, addenda erant verba, quae sententiam cas res doctorum mentione laudationum excitatam coercent certiusque definirent, quales essent laudationes hoc loco memoratae.

Itaque pro certo habendum esse censeo, aliquot verba post 'laudationibus' intercisisse, has laudationes certius significantia; quae quum restituere nequeamus, locus iste ad laudationes Romanorum melius perspicendas nullius videatur momenti esse.

Hucusque cum de laudationum generibus, tum de laudationibus judicialibus egi, jam, priusquam ad funebrem laudationem explicandam transeam, diversarum laudationum conspectum apponam:

- 1) *laudationes judiciales,*
- 2) *laudationes in senatu,*
- 3) *laudationes pro concione,*
 - a) *militum,*
 - b) *civium,*
 - c) *funebri.*

CAP. III.

LAUDATIONES FUNEBRES.

Si quis apud antiquos Romanos illustris familiae vir diem supremum obierat, gravissimam et sane conspicuam solemnem pompae funebri partem efficiebant laudationes, quae in ea habebantur, funebres. Planissime et ita, ut oculis videre nobis videamur, Polybius hanc rem enarravit; quippe qui Graecus homo, quo minus ex pueris huic ad spectui aduetus erat, eo magis magnificentia ac solemnitate rei permoveretur⁸⁸⁾. Quoties aliquis vir illustris, dicit, apud Romanos migravit de vita, is cum funus effertur, praeter reliquos honores, quibus ornatur, in forum ad rostra ut vocant solet efferri, stans interdum ut omnibus sit conspicuus, rarius jacens. Ibi populi totius corona circumstante, aut filius, si contingat filium aetate adultum ab eo esse relictum, atque ille praesens adsit, si minus e consanguineis aliquis, rostra conscendit defunctique laudes commemorat et si quae dum viveret feliciter ab eo fuerint gesta. Absoluta hujus laudatione, ad alios orationem conferens, ab maximo natu omnium, quorum adsunt imagines, orditur et decora singulorum ac res gestas commemorat, atque hoc modo bonorum praestanti laude

88) Polyb. hist. VI, 51. 52.

ac fama subinde renovata, eorum, qui facinus aliquod memorabile ediderunt, immortalis fit gloria. Unde evenit, ut populus rediens in memoriam auctorum et ob oculos sibi ea ponens sic afficiatur, non illi dumtaxat qui gerendis rebus, quae sunt narratae, interfuerunt, sed ii etiam, qui plane alieni fuerunt ab iis, quae narrantur — ut publicus videatur is luctus esse, non eorum proprius ad quos funus pertinet. Deinde ubi cadaver sepelierunt et justa peregerunt, imaginem defuncti in celeberrima aedium parte ponunt, lignea quadam aedicula circumtectam. Has imagines per solennia publica aperiunt et cum studio exornant. Cum autem illustris vir aliquis ex eadem gente vel familia diem obiit, ad funeris elationem eas proferunt et, ut quam simillimae sint defuncto etiam truncum corporis adiciunt. Haec porro simulacra togas assumunt, si quis vir consularis aut praetorius fuerit, praetextas, si consularis, purpureas, si triumphalis aut simili quo alio honore functus, auro radiantibus. Et hi quidem curru vecti procedunt; at fascces et securus et quaecumque alia magistratus comitari solent insignia, ibi quoque praecedunt, pro honore et dignitate, quam quisque in republica, dum viveret, obtinuit. Ad rostra ut ventum, ordine omnes sellis insidunt eburneis. Quo spectaculo nullum temere pulchrius juvenis verae laudis ac virtutis amans queat intueri. Ita fere Polybius. Vivida, quam exhibet, imago laudationem in pompa funebri summam fere ac gravissimam partem fuisse, satis demonstrat. Jam singulae quaestiones diligentius tractandae sunt, ac primum quidem videamus, quae fuerit moris origo.

1. Constat Romanorum homines doctos lubentissime id egisse, ut res indigenas, non solum quae ad sacra deorum et rompublicam, verum etiam, quae ad morem qualemcumque pertinerent, ad Graecos, qui temporis progressu Romanorum magistri essent facti, referrent. Ita nonnulli etiam morem laudationum funebrium ab iis, qui fuerunt Graecorum λόγοι ἐπιτάφιοι,

ducendum esse statuere, quod apparet e Dionysio Halicarnasensi, qui hanc sententiam refutandam censuerit⁸⁹). Satis acute memorat ἐπιτάφίους ἐπαίνους tantum apud Athenienses et ex bellis demum cum Persis gestis ad eos, qui ad Artemisium, Platacas, Salamina cecidissent, laudibus exornandos invaluisse, antiquissimam vero, quae inter Romanos nota sit, Bruti primi consulis laudationem funebrem, antiquiorem etiam esse Graecorum usu⁹⁰), qui praeterea a Romano admodum distet⁹¹). Hanc differentiam Cicero quoque de Solonis legibus verba faciens⁹²) sensit; nam etiam inter Graecos fuere, qui hunc morem, in pugna qui cecidissent, laudibus publice efferendi, vulgo ex bellis Persicis ductum, ad Solonis leges referrent⁹³).

Si Romani a Valerio Publicola primam laudationem funebrem in memoriam Bruti consulis in pugna occisi esse habitam

89) Dionys. Halic. antiq. Rom. V, 17: ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαῖον εὐρημα τὸ παρὰ τὰς ταφὰς τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπαίνους τῆς ἀρετῆς αὐτῶν λέγεσθαι, καὶ οὐχ Ἑλληνες αὐτὸ κατεστήσαντο πρῶτοι, παρὰ τῆς κεινῆς ἱστορίας οἶδα μαθῶν —

90) ibid.: ὕστερ' εἰ δὲ καὶ τὰ Μαραθῶνια τῆς Βρούτου ταφῆς, εἰ δὲ ἀπὸ τούτων πρῶτων ἤρξαντο οἱ ἔπαινοι λέγεσθαι τοῖς ἀπογενομένοις ἐκκαίδεκα ἔτεσιν.

Diod. Sic. Bibl. XI, 33: ὁμοίως δὲ καὶ ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ἐκόσμησε τοὺς τάφους τῶν ἐν τῇ Περσικῇ πολέμῳ τελευτησάντων, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἐπιτάφιον τότε πρῶτον ἐποίησε καὶ νόμον ἔθηκε λέγειν ἐγκώμιον τοῖς δημοσίᾳ θάπτομένοις τοὺς προαιρεθέντας τῶν ῥητόρων.

91) Dionys. Halic. l. 1. 1 εἰ δὲ τις — τὸν νόμον αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ βουληθείη καταμαθεῖν παρ' ὑποτέροις ἄμεινον ἔχει, τοσοῦτον φρονιμώτερον εὐρήσει παρὰ τοῖσδε (τοῖς Ῥωμ.) κείμενον αὐτὸν, ἢ παρ' ἐκείνοις (τοῖς Ἑλλησι) ὅσα γ' Ἀθηναῖοι κ. τ. λ.

92) Cic. de legg. II, 26, 65 de Solonis legibus locutus pergit: sed post aliquanto — lege sanctum est, ne quis — —. Neque — licebat — nec de mortui laude, nisi in publicis sepulchris, neo ab aliis, nisi si qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat.

93) Plut. Popl. 9: λέγεται δὲ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἐπιτάφιων, ἐκεῖνος γένεσθαι πρεσβύτερος· εἶγε μὴ καὶ τοῦτο Σόλωνός ἐστιν, ὡς Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν.

indeque morem initium cepisse contenderunt⁹⁴), his certum tantum fit, ipsos hucusque consuetudinem persequi potuisse. Novissimis demum temporibus intellectum est, quid fidei iis habendum sit, quae de primordiis populi Romani traduntur. Itaque hunc mortuos solemniter collaudandi morem Romae antiquissimum ac temporibus ab historiae fide longe remotis ortum esse ducamus necesse est⁹⁵). Quae sententia iis, quae ipsi veteres hac de re tradiderunt, quodammodo confirmatur; quum pompa feralis omniaque solemnia antiquissima jam regum temporibus per forum migrasse ab veteribus tradantur⁹⁶), non probabile est gravissimam istorum solemnium partem, laudationem dico, antiquitus plane abfuisse. Eodem pertinere videtur quod e Varrone narratur, laudationes funebres pro rostris habitas esse, quod Romulus ibi sit sepultus⁹⁷); scilicet quia putabant

94) Ibidem: ἀποδέξαντο δὲ τοῦ Οὐαλλερίου καὶ τὰς εἰς τὸν συνάργοντα τιμὰς, αἷς ἐκκομιζόμενον καὶ θάπτομενον ἐκόσμησε καὶ λόγον ἐπ' αὐτῷ διετέλλεν ἐπιτάφιον ὅς οὕτως ὑπὸ Ῥωμαίων ἡγαπήθη καὶ τοσαύτην ἔσχε χάριν, ὥστε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ μεγάλοις ὑπάρχειν ἐξ ἐκείνου τελευτήσασιν ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἐγκωμιάζεσθαι.

95) Niebuhr. hist. Rom. II, pg. 5.

Cf. Dionys. Halic. antiq. Rom. V, 17: εἰ μὲν οὖν Οὐαλέριος πρῶτος κατεστήσατο τὸν νόμον τόνδε Ῥωμαίοις ἢ κείμενον ὑπὸ τῶν βασιλέων παρέλαβεν οὐκ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν. ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαῖον εὐρεμα — οἶδα — —

96) Dionys. Halic. ibid. IV, 40: θορόβου δὲ γενομένου πολλοῦ ἐπὶ τὴν πόλιν ὄλην, καὶ οἰμωγῆς ἐπὶ τῷ Τυλλίου θανάτῳ, δεισας ὁ Ταρκύνιος εἰ διὰ τῆς ἀγορᾶς ὁ νεκρὸς φέροιτο, ὡς ἔστι Ῥωμαίοις ἔθος, τὸν τε βασιλεῖον κόσμον ἔχων, καὶ τᾶλλα, ὅσα νόμος ἐπὶ ταῖς ταφαῖς, μὴ τις εἰς αὐτὸν ὀρμὴ γένηται τοῦ δημοτικῷ — οὐκ εἶασε τῶν νομίμων οὐδὲν αὐτῷ γένεσθαι.

97) Schol. Horat. epod. 16, 13: ossa Quirini . sic dicit, quasi Romulus sepultus sit, non ad coelum raptus aut discerptus a senatoribus; nam Varro post rostra (pro rostris comm. Cruquii) fuisse sepulchrum Romuli dicit, ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuisse erectos constat, unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur.

cum Romulo morem incepisse, ejus vero laudationem eo loco, quo sepeliretur, esse habitam.

2. Praeter laudationem funebrem aliam extitisse mortuos collaudandi rationem docemur iis, quae de praeficarum neniis⁹⁸⁾ produntur. Fest.: *nenia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam*⁹⁹⁾, item Cicero: *honoratorum virorum laudes in concione memorentur casque etiam cantus ad tibiam prosequatur, cui nomen neniae*¹⁰⁰⁾. Nec tamen puto nenas cantari solitas in concione inter laudationem virorum honoratorum, sed inter omne ceterum funus, etiam in foro, Tacit. ann. III, 5: (Drusum) *defletum in foro, laudatum pro rostris*. Mortuum a muliere, praefica, laudari, etiam Varronis verba quamvis corrupta apud Nonium¹⁰¹⁾ demonstrant et locus Plauti ibidem

98) de duplici scribendi ratione, naenia et nenia cf. Obbarium ad Horat. epist. I, 1, 63.

99) Festi fragm. I. XIII. pg. 161. Muell.

Naenia est | carmen, quod in funere laudandi
gratia can | tatur ad tibiam, quod vocabulum *Afranius in Ma* | terteris posuit — — — — — *exequias canti* | tabant. sunt qui eo verbo finem *significari credi* | derunt cct. Suppleta sunt haec e Pauli Diac. exc.

l. XII, pg. 163. Muell: naenia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo finem significari putant. cct.

100) Cic. de legg. II, 24, 61: Haec habemus in duodecim; sano secundum naturam, quae norma legis est. Reliqua sunt in more: funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eosque etiam cantus ad tibicinem prosequatur; cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur.

101) Nonius pg. 66: Praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solent funeri mercede conductae ut et flerent et fortia facta laudarent. Plautus in Fivolaria — pg. 67: idem Truculento: praeficas, quae alios collaudare, a se vero non potest. Lucil. lib. XXII: — Varro de vita populi Romani lib. III: dein naeniam cantari solitam ad tibias et fides, eorumque *ludisticas cursitassent*: haec mulier vocitata olim praefica usque ad Poenicum bellum.

Non. pg. 145: Nenia, ineptum et inconditum carmen, quod adducta mulier, quae praefica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet. Varro de vita populi Romani III ibi a muliere, quae *obutama* voce esset, perquam laudari, dein neniā cantari solitam ad tibias et fides.

citatus. Nonius locos propositos, uti plerumque solet, veterum grammaticorum disputationes haud negligens interpretatus est: *praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solent funeri mercede conductae, ut et flerent et fortia facta laudarent*. Naevius dixit: *praefica, quae sic mortuum collaudat*¹⁰²⁾, Aurelius Opilius, Varrone teste, interpretatus est: *praeficam dictam esse mulierem a luco quae conduceretur, quae ante domum mortui laudeis ejus caneret*¹⁰³⁾.

Neniae utrum semper a praeficis an a propinquis quoque cantatae sint, aegre dixeris¹⁰⁴⁾, pro certo habendum est neniā tantum lugubrem fuisse¹⁰⁵⁾, qui laudes mortui offerret, in funere cantatum. Itaque Tacit. annal. III, 5 refert in morte Germanici solemnem pompam funebrem desideratam esse, cujus singulas explicat partes: *illa veterum instituta, propositam toro effugiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et lacrimas vel doloris imitamenta*. Mos igitur erat antiquitus consuetudine receptus, de cujus origine nemo, ne coniectura quidem sicuti de laudationibus, certiores nos facit. Neque repugnat rei naturae, has nenas antiquiores fuisse laudationibus, quae pro fortiter factis, quae offerrent, et omni ritu solemnī, qui additus esset, non poterant institui nisi in republica bene

102) Pauli Diac. exc. ex Festo l. XIV, pg. 223. Muell.: Praeficae dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae. Naevius: Haec quidem mohercule praefica est, quae sic mortuum collaudat. Eadem fere verba extant apud Varron. de l. Lat. VII, 70. Muell. cf. O. Ribbeck. comic. fragm. pg. 129.

103) Varro de l. Lat. VII, 70. Muell.: praefica dicta, ut Aurelius scribit, mulier ad luctum, quae conduceretur, quae ante domum mortui laudeis eius caneret. ad luctum' Muell. coniecit, a luco' codd. optimi; si vero memoria tenemus, lucum Libitinae Romae fuisse ac libitinarios praeficas ad funus ornandum misisse, locus Varronis nullam desideret modelam.

104) huc spectare videtur, quod Non. pg. 145 dixit.

105) Neuius in libro 'Formenlehre der lat. Spr.' II, pg. 7 docet multorum adjectivorum in — ris exeuntium, inter quos etiam 'funeris', nominativum casum, gen. masc. non inveniri.

ordinata et adulta. Itaque neniis communes omnium, quibus justum pararetur funus, querelae et laudes exhibebantur, neque quidquam traditum est, eas certis tantum quibusdam hominibus esse cantatas ¹⁰⁶), at laudationes illis tantum viris, qui ipsi bene meriti essent de republica aut quorum majores honoribus et rerum gestarum splendore excelluissent, habitas esse scimus. Non abhorret igitur a re, quod senatus in funere Augusti ad exequias exornandas praeter alias et multas res id quoque decrevit, ut haec omnium communis lamentatio ac collaudatio a principum liberis utriusque sexus cantaretur ¹⁰⁷). Reliquias neniarum ejusmodi esse Niebuhr. ¹⁰⁸) eique assentiens Corssen. ¹⁰⁹) versus sepulcris Scipionum inscriptos ducit, quibus facile aliae inscriptiones sepulcrales addi possunt. Neniae, quae ut patet verae simillima ficta est, cantatae anapaestis in Senecae lud. de morte Claud. Caes. pg. 388 et 389 (ed. Bipont.) insunt Claudii laudes ¹¹⁰).

Neniis postmodo malam accessisse famam et vocem latiore ac parum honorifica notione usurpatam esse, qui his rebus studium impenderint, cognitum habebunt, sed jam satis antiquis temporibus lege XII tabularum nenas coercendas fuisse, hic commemorasse non erit inutile. Inter alias leges sumptuarias haec est tab. x: **MVLIERES GENAS NE RADVNTO NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO** ¹¹¹). Lessum signifi-

106) Jam supra dictum est, esse cavendum, ne quum Cic. de legg. II, 24. 61 viris honoratis in concione laudatis nenas cantari solitas dixerit, his tantummodo neque aliis quoque hoc factum esse credamus.

107) Suet. Aug. 100: Senatus — in funere ornando — eo studio certatim progressus est, ut — censuerint quidam, funus triumphali porta ducendum, praecedente Victoria, quae est in curia, canentibus neniā principum liberis utriusque sexus.

108) Niebuhrii hist. Rom. I, pg. 271.

109) Corssen. origines poes. Rom. Berol. 1846. pg. 107 sqq.

110) Seneca apocol. pg. 389: (recitata nenia) dolectabatur laudibus suis Claudius et cupiebat diutius spectare

111) Cic. de legg. II, 25, 64: quam legem (Solonis) eisdem prope verbis

care lamentationem seu ejulationem lugubrem, supra pg. 11 vidimus, eandem fere uenia in funere, laudandi gratia cantata exhibuit. Quid sit genas radere e Festo ¹¹²) apparet, unguibus factum esse comperimus, itaque idem est ac lacerare; genae vero, teste Plinio ¹¹³), malae erant prisca vocc. Varro, ut Serv. ad Verg. Aen. tradit ¹¹⁴), suspicatus est, mulieres hoc fecisse ut sanguine inferis satisfacerent. Similia dicta poetarum sunt: *lacerare genas* ¹¹⁵), *notare genas* ¹¹⁶), *unguibus foedare ora* ¹¹⁷). Itaque lex hoc fere dixisse videtur: mulieres malas ne laceranto, neve nenas funeris ergo exhibento ¹¹⁸). Hanc legem ad sumptum coercendum promulgatam aequae atque alias ad funera pertinentes, quarum Cic. de legg. II mentionem inicit, parum observatas esse, ex iis, quae his de rebus proferuntur, facile intelligitur.

3. Polybii, qui solemnia funebria pluribus enarrat, loco

nostri decemviri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt. de lamentis vero expressa verbis sunt: **MVLIERES** cet

Cf. quae antea dixit II, 23, 59.

112) Festi fragm. l. XVII, pg. 273. Muell.: *Radere g | enas vetitum est in lege XII, id est unguibus | lacerare malas.*

113) Plin. hist. nat. XI, 37, 58: Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas vocabant, XII tabularum interdicto radi a feminis vetantes. pudoris haec sedes. ibi maxime ostenditur rubor.

114) Serv. ad Verg. Aen. III, 67: Varro quoque dicit mulieres in exequiis et luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant, quare etiam institutum est, ut apud sepulera et victimae caedantur.

ibid. XII, 606: moris fuit apud veteres, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur. Tamen sciendum, cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis: mulier faciem ne carpito.

115) Ovid. Trist. III, 3, 51: Praece tamen lacerare genas; nec scinde capillos.

116) Ovid. Amor. II, 6, 4: Et rigido teneras ungue notate genas.

ibid. v. 48: (Ilia) — ungue notata genas.

117) Verg. Aen. IV, 673: Unguibus ora soror foedans et pectora pugnīs.

118) Cf. de his legum XII tab. verbis Dirksenii librum 'Uebersicht der Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der XII Taf. fragm.' Lips. 1824, pg. 665—672.

supra indicato ¹¹⁹), laudationem habitam esse populi totius corona circumstante, docemur, quod quid significet apparet ex Dionysio Halicarnassensi exequias Bruti describente ¹²⁰), qui dicit Valerium atratum postero die ad concionem populum convocasse, item ex alio ejusdem scriptoris loco, ubi refert, ad exequias Appii Claudii populo invisi et cladibus in bello Volseo acceptis noti solemniter instruendas filium a tribunis et consulibus, ut sibi populum ad concionem legitimam convocarent sibi que patrem oratione funebri ornare permitterent ¹²¹), petivisse, quam rem etsi minus diserte explicatam, etiam Livius memorat ¹²²). Quid apud Dionysium voces δῆμος et ἐκκλησία velint, ex usu Graecorum de rebus Romanis agentium satis notum est, significant enim plebem et populi concionem, id quod quibusdam Romanorum scriptorum locis confirmatur. Cicero, laudationes scribi ad funebrem concionem ¹²³) et honoratorum virorum laudes in concione memorari ¹²⁴), inter alias res ad funus pertinentes dicit. Itaque certum

119) Polyb. hist. VI, 51: περίε δὲ παντὸς τοῦ δήμου σπάντος ἀναβάς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους-λέγει.

120) Dionys. Halic. antiq. Rom. V, 17: τῇ δ' ἐξῆς ἡμέρᾳ φαιδὸν ἐσθῆτα λαβὼν, καὶ τὸ Βρούτου σῶμα προθεὶς ἐν ἀγορᾷ κεκοσμημένον ἐπὶ στρωμνῆς εὐπροποῦς, συνεχάλει τὸν δῆμον εἰς ἐκκλησίαν, καὶ προελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα, τὸν ἐπιτάφιον ἐλάξεν ἐπ' αὐτῷ λόγον.

121) Dionys. Halic. antiq. Rom. IX, 54: ὁ μὲν οὖος — — προσῶν τοῖς δημάρχους καὶ τοῖς ὑπάτοις, ἡξίου τὴν νόμιμον ἐκκλησίαν αὐτῷ συναγεῖν, καὶ τὸν ἐν ἔθει Ῥωμαίους ὄντα ἐπὶ ταῖς ταφαῖς ἀγορεύεσθαι — λόγον ἐπιτρέψαι περὶ τοῦ πατρὸς διελεθεῖν.

122) Liv. II, 61: ante tamen quam predicta dies veniret, morbo moritur (Appius), cujus cum laudationem tribuni plebi impedire conarentur, plebs frandari solemnī honore supremum diem tanti viri noluit et laudationem — audivit — et exequias frequens celebravit.

123) Cic. de orat. II, 84, 341: 'nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut —, aut scribuntur ad funebrem concionem'. — Ita funebres contiones dicuntur a Quint. inst. orat. XI, 3, 153, qui tamen ex more loquendi satis noto orationes pro concione habitas, ipsas laudationes, ita appellavit.

124) Cic. de legg. II, 24 fin.: Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibioinē prosequatur cui nomen neniae.

est laudationem nisi concione convocata non potuisse haberi. Sed, solum magistratibus licuisse scimus concionem vocare ¹²⁵) et privatis copiam apud populum verba faciendi dare ¹²⁶). Primum laudationis funebri, quod in Romanorum rebus nobis occurrit, exemplum hoc non satis aperte monstrat; funus dico Bruti, cujus collega Valerius, ipse consul, non erat, quod laudandi licentiam expeteret, quum ipse quasi dominus funeris ¹²⁷) populum ad concionem vocare posset. Alterum, quod factum est, funus Appii Claudii idem et clarius quidem docet. Filius patrem laudaturus concionem petivit potestatemque apud populum dicendi, consules utrumque concedunt, tribuni refragantur, tandem consules, populo probante, vincunt ¹²⁸). Quodsi aliis nonnullis in causis concionis non diserta fit mentio, hoc factum est, quod scriptores Romani in patrio more explicando negligentius agebant. Utroque vero Ciceronis loco probatur hunc morem satis recenti tempore etiam tum viguisse, neque secus Suetonius, Augustum pro concione et aviam et Drusum laudasse, narrat ¹²⁹).

Sed unum memoratu dignum videtur. Facultas illa a magistratibus petenda ad concionem tantum convocandam orationemque habendam pertinuit, non ad funus ipsum, quod per forum ducere cuiusvis licebat. Consentaneum est, ubi laudatio deesset, commorandi in foro nullam fuisse causam.

Ac narratur populum tum demum ad concionem vocari,

125) Rein. in Paulii Encycl. II, pg. 583. W. A. Becker Antiq. Rom. II, 1. pg. 358, Annot. 692.

126) Becker A. R. II, 1, pg. 361, annot. 700.

127) ita vocatur, qui funus ornat, apud Cic. de legg. II, 24, 61: 'dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus'.

128) Dion. Hal. antiq. Rom. IX, 54: οὐ μὲν ὁ δῆμος γ' ἠνέσχετο, οὐδὲ περιεῖθε τὴν ὕβριν, ἄτιμον ἐκβληθῆναι τὸ σῶμα, ἀλλ' ἐπέτρεψε τῶν μειρακίῳ τὰς νομιζομένας ἀποδοῦναι τῷ πατρὶ τιμᾶς.

129) Suet. Div. Claud. I.

quum funus ad forum pervenisset ¹³⁰). Putandum est, jam antea populum satis frequentem convenisse, vocationemque tum legis servandae caussa factam esse, tum ad laudationem audiendam spectasse. Bis funera per forum ducta, nulla concionis seu laudationis mentione facta, traduntur. Alterum Servii Tullii regis occisi funus, in quo Tarquinius veritus, ne, si per forum duceretur, ut Romanorum erat consuetudo, cum regia pompa et ceteris solemnibus caerimoniis, quae in funere observari solebant, plebs impetum in se faceret, regno nondum satis corroborato, sepulturae consuetos ritus adhiberi noluit ¹³¹). Jam supra vidimus, Dionysium, etsi ipse laudationem funebrem antiquissimum Romanorum morem esse ducat, iis, qui cum a Bruto initium cepisse contendunt, non repugnare, itaque hic summam tantum rem narrans de funeris partibus, quibus populus praecipue excitari potuisset, nihil dixit; illis tamen verbis *τάλλα, ἕσα νόμος ἐστὶ ταῖς ταφαῖς* sive *nenias* sive laudationes defunctorum honori consecratas satis perspicue significavit. Alterum funus per forum ductum nulla concione convocata, nulla habita laudatione, est Virginiae ob Appii crudelitatem occisae, quam propinqui ad populum excitandum lecto in forum delato et reliquo ornatu funebri, quam magnificentissime poterant, apparato per illustrissima urbis compita, unde a plurimis conspici posset, detulere ¹³²). Facile credas, hic laudationem in foro habitam

130) Dion. Hal. antiq. Rom. V, 17: τὸ Βρούτου σῶμα προθεῖς ἐν ἀγορᾷ — συνεκάλει τὸν δῆμον εἰς ἐκκλησίαν.

— IX, 54: προσνεχθέντος δὲ τοῦ σώματος εἰς τὴν ἀγορὰν, ὁ μὲν οὐδὲς — ἤξει τὴν νόμιμον ἐκκλησίαν αὐτῆ συναγαγεῖν —

131) Dion. Hal. antiq. Rom. IV, 40. Cf. annot. 96.

132) ibid. XI, 39: ἔτι δὲ μᾶλλον ἐξηλλοτριώσαν τὸν πολιτικὸν ὄχλον οἱ τῆς κόρης συγγενεῖς, κλίην τε κομίσαντες εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ τὸν ἄλλον κόσμον τὸν ἐπιτάφιον οὖον ἐδύναντο πολυτελέστατον παρασκευάσαντες καὶ τὴν ἐκφορὰν τοῦ σώματος διὰ τῶν ἐπιφανεστάτων τῆς πόλεως ποιησάμενοι στενωπῶν, εἶθεν ὑπὸ πλείστων ὑφ' ἡγήσεσθαι ἔμελλον.

multum ad rem fecisse, sed, praeterquam quod a magistratibus licentia erat petenda, mortua non fuit nobili loco nata, et, postea demum etiam mulieribus coeptum esse hunc honorem haberi, veteres omnes consentiunt.

4. Ubi laudatio solita sit haberi, jam e locis, de quibus hucusque disputavimus, satis apparet — in foro, pro rostris; et semper quidem hoc in loco temporibus liberae reipublicae, plerumque etiam Caesarum temporibus. Id, quod Polybius loco citato ¹³³), ubi hunc explicat morem, testatur, item Cicero de orat. II, 84, 341, de legg. II, 24 fin., Varro in schol. ad Horat. epod. 16, 13. Brutus laudatur in foro pro rostris: Dion. Halic. V, 17 ¹³⁴); Appius in foro: Dion. Halic. IX, 54, Liv. II, 61; Fabius Maximus filium laudat in foro: Plut. Fab. Max. 24; Julius Caesar amitam Juliam et uxorem Corneliam pro rostris laudavit, teste Suetonio Div. Jul. 6, Plut. Caes. 5; Pompeji filiola in foro laudatur: Dio Cass. XXXIX, 64; Sulla in foro pro rostris: Appian. bell. civ. I, 105 ¹³⁵); Caesar in foro ab Antonio: Dio Cass. XLIV, 35, Plut. Anton. 14, Plut. Brut. 20, Cic. epist. ad Attic. XIV, 10, in foro pro rostris: Appian. bell. civ. II, 143; Augustus duodecim annos natus aviam Juliam laudat pro rostris: Quint. inst. orat. XII, 6, 1, Suet. Div. Aug. 8; Augustus Agrippam in foro: Dio Cass. LIV, 28; Tiberius patrem pro rostris: Suet. Tib. 6; Octavia a Druso pro rostris laudatur: Dio Cass. LIV, 35; Augustus a Druso pro rostris: Dio Cass. LVI, 34 ¹³⁶), Suet. Div. Aug. 100; Drusus in foro a fratre Tiberio: Dio Cass. LV, 2, pro rostris: Tacit. annal. III, 5, pro concione: Suet. Div. Claud. 1; Junia Cassii uxor, M. Bruti,

133) Polyb. hist. VI, 51: κομίζεται — πρὸς τοὺς καλουμένους ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν — ἀναβάς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους — λέγει —

134) προσελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα τὸν ἐπιτάφιον ἔλεξεν — λόγον.

135) ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐνθα δημηγοροῦσιν, ἐν ἀγορᾷ.

136) ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος.

soror, pro rostris: Tacit. annal. III, 76; Drusus a patre Tiberio pro rostris: Seneca consol. ad Marc. 15; Tacit. annal. IV, 12; Tiberius a Caligula pro rostris: Suet. Calig. 15; Caligula Liviam Augustam proaviam pro rostris laudat: Suet. Calig. 10, Tacit. annal. V, 1; Nero Poppaeam apud rostra: Tacit. annal. XVI, 6; L. Verginius Rufus in foro pro rostris a Cornelio Tacito laudatur: Plin. epist. II, 1, 6; Pertinax a Severo pro rostris: Dio Cass. LXXV, 5. Sed accidit etiam et praecipue temporibus Caesarum, ubi populi auctoritas jam deminuta erat ejusque locum actiones in senatu obtinuerant¹³⁷⁾, ut laudationes funebres in senatu haberentur. Ita Tiberius filium a Sejano interemtum in senatu¹³⁸⁾ laudat. Eodem referendum erit, quod Suetonius narrat, Caesare occiso laudationis loco senatus consultum pronuntiatum esse, quo omnia simul ei divina atque humana senatus decreverit¹³⁹⁾.

Annotandum est duplicem laudationem funebrem satis antiquis habitam esse temporibus. Q. Fabius Q. Aemiliani filius Maximus teste Cicerone pro Mur. 30, 75 patruo suo P. Africano minori laudationem habuit, cujus orationis sententia quaedam exhibetur¹⁴⁰⁾, idem hic Q. Maximus secundum locum citatum dominus funeris erat; itaque hac de re vix dubitari possit.

137) cf. Beckeri Antiqq. Rom. II, 3, pg. 210 sqq. de senatu.

138) pro rostris, ut narrat Seneca, consol. ad Marc. 15.

Dio Cass. LVII, 22: τότε ὃ οὖν εἰσῆλθέ τε ἐς τὸ σπινθέριον καὶ τὸν προσήκοντα ἐπὶ τῶ παιδί ἔπαινον ποιησάμενος οἴκαδε ἐκομίσθη.

De notione vocis σπινθέριον cf. A. Wannowski antiqq. Rom. e Graecis fontibus explicat. Regimont. Prussor. 1846, pg. 110 sqq.

139) Suet. Div. Iul. 84: laudationis loco consul Antonius per praekonem pronuntiatum senatusconsultum, quo omnia simul ei divina atque humana decreverat, item jusjurandum, quo se euncti pro salute unius astrinxerant, quibus perpauca a se verba addidit.

140) Cic. I. I.: quem quam supremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit dis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum natus esset; necessarium fuisse ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset.

Alio loco Cicero de orat. II, 84, 341 dicit Q. Tuberonem eidem Africano avunculo suo laudationem a C. Laelio scriptam habuisse¹⁴¹⁾. Hic etiam tam singulares afferuntur res, ut errorem vix statuere possimus. Antiquis igitur jam temporibus interdum duplex laudatio esse habita videtur, imperatorum demum temporibus saepius factum esse legimus, ut laudationes binae duobus locis a diversis hominibus diverso tempore eidem homini haberentur. Ita Octavia a Druso pro rostris, ab Augusto pro aede Divi Julii¹⁴²⁾, Augustus a Druso pro rostris veteribus, pro rostris Juliis a Tiberio laudatur¹⁴³⁾. Locos Dionis Cassii LVI, 34 et Suet. Aug. 100, qui hac de re certiores nos faciunt, si compararimus, facile intelligemus rostra Julia nihil aliud nisi aedem Divi Julii fuisse, quam eo loco, ubi Caesaris cadaver concrematum esset, fuisse extractum scimus¹⁴⁴⁾. Cujus templi κρηπίς aequae atque aliorum ad forum Romanum sitorum cum populo acturis locum praebuit concionandi, praesertim cum antiquorum rostrorum loco extracta esset. Ipsa post victoriam ad Actium reportatam Aegyptiarum navium captarum rostris ornata est et rostrorum Juliorum nomen accepit¹⁴⁵⁾. Rostra vetera vero jam, ubi templum aedificari coeptum est, remota, eam fori partem, ubi Castoris erat templum tenere¹⁴⁶⁾.

141) Cic. I. I.: Sed tamen quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum, velut Q. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius.

142) Dio Cass. LIV, 35: Ὀκταουίαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν προσέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρώου — καὶ αὐτὸς τε ἐκεῖ τὸν ἐπιτάφιον εἶπε, καὶ ὁ Δροῦσος ἐπὶ τοῦ βήματος.

143) id. LVI, 34: προτεθείσης δὲ τῆς κλίνης ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, ἀπὸ μὲν ἐκείνου ὁ Δροῦσός τι ἀνέγνω, ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλιῶν ὁ Τιβέριος δημόσιον δὴ τινα κατὰ δόγμα λόγον ἐπ' αὐτῶ τοιόνδε ἐπελέξατο.

144) Dio Cass. XLVII, 18: καὶ ἡρώον οἱ ἐν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῶ τάφῳ, ἐν ᾧ ἐκέχαιτο, προκατεβάλλοντο (triumviri).

145) Dio Cass. LI, 19: τὴν τε κρηπίδα τοῦ Ἰουλιεῖου ἡρώου τοῖς τῶν αἰχμαλωτῶν νεῶν ἐμβόλοις κοσμηθῆναι (ἐψηφίσαντο).

Etiam altera memoratur duplex laudatio hujus temporis. Drusus a Tiberio in foro, ab Augusto in circo Flaminio laudatus est ¹⁴⁷⁾, et Augustus quidem, teste Cassio Dione, extra pomoerium laudasse dicitur, quia bellum foris gesserat, nec fas ei erat ea praetermittere, quae post bella confecta in ipso pomoerii introitu de more praestabantur. Quod Casaubonus interpretatus est: Jovi Capitolino aliisque deis gratias in ipsorum templis agendas fuisse; hoc autem facere Augustum funesta ipsius domo non potuisse, itaque extra pomoerium tantisper mansisse ¹⁴⁸⁾.

5. Quod Polyb. hist. VI, 51 docet, laudationem funebrem haberi, όταν μεταλλάξη τις τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, idem aliis locis satis comprobatur. Itemque Plutarchus monstrat laudationem haberi ἐν ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν ¹⁴⁹⁾, Dionys. Halic. antiquum Romanorum vocat inventum τὸ παρὰ τὰς ταφὰς τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπαίνους λέγεσθαι ¹⁵⁰⁾, non secus Plutarchus refert post primam a Valerio habitam laudationem morem extitisse τοὺς ἀγαθοὺς καὶ μεγάλους ἐγκωμιάζεσθαι ¹⁵¹⁾. Qui sint ex Romanorum sententia

146) cf. Beckeri R. A. I, pg. 337. 338.

147) Dio Cass. LV, 2: καὶ αὐτοῦ (Αυρούσου) ἐν τῇ ἀγορᾷ προτεθέντος διπλοῦς ὁ ἐπιτάφιος ἐλέχθη ὃ τε γὰρ Τιβέριος ἐνταῦθα αὐτὸν ἐπήνεσε καὶ ὁ Αὐγουστος ἐν τῷ Φλαμινίῳ ἵπποδρόμῳ· ἐξεστράτευτο γὰρ καὶ οὐκ ἦν οἱ ὄσιον μὴ οὐ τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς κατεργασμένοις παρ' αὐτὴν τὴν εἴσω τοῦ πομηνίου ἔσοδον ἐπιτελέσαι.

148) cf. Dion. Cassii ed. Sturzii vol. VI, pg. 147, atque ejusdem annotationum ad Dion. Cass. vol. II, ad librum LV.

149) Plut. Fab. Max. 24: τὸ δ' ἐγγνώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσήκοντες ἐπιτελοῦσιν, αὐτὸς εἶπε καταστάς ἐν ἀγορᾷ.

150) Dionys. Hal. antiqq. Rom. V, 17: Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαίων εὖρεμα, τὸ παρὰ τὰς ταφὰς τῶν ἐπισήμων ἀνδρῶν ἐπαίνους τῆς ἀρετῆς αὐτῶν λέγεσθαι.

151) Plut. Publ. 9: ὃς (ἐπιτάφιος λόγος) οὕτως ὑπὸ Ῥωμαίων ἠγαπήθη καὶ τοσαύτην ἔσχε χάριν, ὥστε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ μεγάλοις ὑπάρχειν ἐξ ἐκείνου τελευτήσασιν ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἐγκωμιάζεσθαι.

illi ἐπιφανεῖς, ἐπίσημοι, ἀγαθοὶ καὶ μεγάλοι facile apparet comparato Taciti loco ¹⁵²⁾, ubi enarrato solemni Drusi funere, omnibus in mentem venisse traditur, Germanico ne solitos quidem et cuique nobili debitos honores contigisse, qui mox enumerantur: proposita effigies, carmina ad memoriam virtutis, laudationes, lacrimae. Ac Cicero, ubi dicit ¹⁵³⁾ honoratorum virorum laudes in concione memorari, eos scilicet in animo habuit viros, quorum majores honoribus functi ipso magistratu gesto nobilibus adnumerati essent. Ita si res sese habuit, conqueri idem potuit, multa in iis (laudationibus) scripta inveniri, quae facta non essent, falsos triumphos, plures consulatus, genera etiam falsa ¹⁵⁴⁾, et referre potuit, laudationes tanquam decus et monumentum familiarum et ad illustrandam nobilitatem servari ¹⁵⁵⁾; ideo Livius etiam celeberrimo illo loco ¹⁵⁶⁾, ubi historiam populi Romani corruptam esse queritur, memoriam dicit vitiatam esse funebribus laudibus falsisque imaginum titulis.

Nobiles igitur erant, quibus laudationes habebantur, seu ipsi suis meritis nobilitatem adepti erant, seu quorum familia jamdiu his adnumerabatur. Propterea Polybius loco citato ¹⁵⁷⁾

152) Tacit. annal. III, 5: fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararentque quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. — at Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse. — ubi illa veterum instituta, propositam foro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et lacrimas vel doloris imitamenta?

153) Cic. de legg. II, 24 fin.

154) Cic. Brut. 16, 62: Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum facta est mendosior, multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumpho, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones.

155) ibid.: Et, Hercules, eae (laudationes) quidem extant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam.

156) Liv. VIII, 40: vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt.

157) Polyb. hist. VI, 52: ἐπὶν διέλιθη τὸν περὶ τοῦτον λόγον ἄρχεται

laudatorem, dicit, absoluta mortui ipsius laudatione a maximo natu quoque eorum, qui adsint, i. e. quorum adsint imagines, ordiētem singulorum egregia facta enumerare; ea ipsa erat causa, cur imagines, concionis participes prope rostra sellis imponerentur. Antiquis illis temporibus, quibus summi honores patriciis tantum gentibus patebant, praeter has nobiles non erant, postea, ubi in republica administranda haec differentia evanuit, nobiles, quibus jus esset imaginum, eminebant¹⁵⁸). Laudationem funebrem nobilium tantum fuisse demonstratur quodammodo Virginiae exequiis jam supra memoratis¹⁵⁹). Cujus lectus sane in forum defertur, cui funus quam magnificentissimum paratur, nullius tamen iniicitur mentio laudationis, quam, si habita esset aut haberi potuisset, commemorari aequum erat.

At non solum viri, verum etiam mulieres post mortem hoc dignati sunt honore, quarum tamen in funeribus non aequae virorum in exequiis laudatio vulgata erat, certa tantum occasione videtur esse habita et recentioris fuisse originis. Quod jam inde apparet, quod raro, temporibus saltem liberae reipublicae, laudatarum mulierum incidit mentio, praeterea etiam eo confirmatur, quod quae a scriptoribus de moris origine scripta accepimus admodum inter se discrepant. Livius refert¹⁶⁰) laudationum funebrium honorem matronis urbe a Gallis liberata esse decretum, quia, quum in publico deesset aurum, ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret, illae, ne sacrum aurum

τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἐκάστου καὶ τὰς πράξεις.

158) Becker A. R. II, 1, pg. 218—235 egit de nobilitate, pg. 225 sententiam tuetur, imaginum usum eo demum tempore ortum esse, ex quo plebeis hominibus aditus ad consulatum aliosque magistratus curules pateret.

159) Dion. Halic. antiqq. Rom. XI, 39.

160) Liv. V, 50: jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod, cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperunt, ut sacro auro abstineretur, matronis gratiae actae honosque additur, ut earum sicut virorum post mortem solemnitas laudatio esset.

tangeretur, mundum aureum suum in aerarium contulissent, cujus facinoris causa ex Diodori opinione¹⁶¹) iis honos carpento vehendi tributus est; Plutarchus narrat¹⁶²) hanc laudationem mulieribus esse concessam, quia Vejis a Camillo captis mundum suum aureum ad donarium faciendum, quod Apollini Delphos portaretur, tribuissent, qua propter Livius V, 25 honorem carpenti iis datum tradit. Ciceronis est opinio¹⁶³), Popiliam, matrem Catuli, qui, adversarius Marii, cum fratribus L. Julio et C. Julio Caesaribus redeunte Mario acerbissima morte affectus est, primam fuisse mulierem, cui hic honos tribueretur. Sane Antonium 'puto' dicentem facit, itaque ex ejus verbis aliud contra historicorum narrationem argumentum peti non potest, nisi, hunc honorem, etsi antea jam obtigerat nonnullis, raro tantum adhibitum, tunc demum rursus increbuisse. Verum de origine concessae mulieribus laudationis historicos suis indulgisse conjecturis, diversis, quas supra attuli, scriptorum sententiis examinatis facile intelligitur. Cicero ipse alterius etiam mulieris suo tempore laudatae, Porciae, mentionem facit¹⁶⁴),

161) Diod. Sic. bibl. XIV, 116: λέγουσι δὲ τινες καὶ διότι τὸν χρυσοῦν κόσμον αἱ γυναῖκες εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν εἰσενέγκασαι ταύτης ἔτυχον παρὰ τοῦ δήμου τιμῆς ὥστ' ἐξουσίαν ἔχειν ἐφ' ἀρμάτων ὀχεῖσθαι κατὰ τὴν πάλιν.

162) Plut. Camill. 8: τὸν ὄντα χρυσοῦν ἐκάστη περὶ τὸ σῶμα κόσμον ἐπέδωκαν εἰς τὸ ἀνάθημα σταθμῶν χρυσοῦ γενόμενον ὀκτὼ ταλάντων. Καὶ ταύταις μὲν ἡ σύγκλητος ἀποδιδούσα τιμὴν κρέπουσαν ἐψηφίσαστο μετὰ θάνατον ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναῖξι λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον· οὐ γὰρ ἦν εἰθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ τελευτήσασαν.

163) Cic. de orat. II, 11, 44: Ita, inquit Antonius, et in eo quidem genere scio et me et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, cum a te est Popilia, mater vestra laudata, cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto.

Hujus dialogi tempus quum Cicero in a. u. 663, 91, paulo ante Crassi mortem, posuerit, laudationem anno circiter centesimo ante Chr. n. habitam esse ducamus licet.

164) Cic. ep. ad Attic. XIII, 37: laudationem Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim literas.

sororis M. Porcii Catonis Uticensis. Haec laudatio utrum scripta tantum an etiam habita sit, ex ratione, qua memoratur, non patet. Varro pro studiis suis, quae ad familias etiam Romanas pertinerent, si alius quis aptissimus erat, qui funebrem laudationem componeret, etsi dubitari licet num is etiam, qui eam haberet. Secundum ea, quae alio loco exposui, multum occasionis habere non potuit laudationes habendi, quod eorum fuisse videtur, qui mortuo proximi essent, nec tamen desunt, qui ex scripto aliorum laudationem recitaverint. Itaque nulla re cogimur, ut putemus Varronem laudationes illas etiam habuisse.

Varronis studia oratoria parum nobis liquent, in catalogo illo manco operum Varronis in epistola Hieronymi exhibitio, XXII libri orationum et III libri suasionum memorantur ¹⁶⁵), hae ex illius temporis loquendi more legum suasiones et pro concione quidem habitae videntur fuisse ¹⁶⁶), illae vero orationes utrum habitae an exercendi gratia solum scriptae sint, quum parum de Varrone oratore sciamus, vix dijudicari potest. Certe Porciae laudatio, quam Varro Cicerone teste ad Atticum XIII, 48 composuit, inter orationes erit referenda. Porcia haec, M. Catonis soror, Domitii Ahenobarbi uxor fuit a Cicerone etiam [Cic. epist. ad. Attic. XIII, 37 et 48] ac Lollio (ibid. 48) laudata. Quis fuerit Lollius iste certo dici non potest, inter Lollios, quos ipse Cicero disertos vocat, eum non fuisse, facile intelligitur. Q. Lollius adolescens et bonus et fortis et inprimis disertus, qui Calidium accusaverat, tempore actionis in Verrem iter faciens in Siciliam interfectus est: Cic. Verr. III, 25, 63.

ibid. 48: laudationem Porciae tibi misi correctam; eo properavi, ut si forte aut Domitio filio aut Bruto mitteretur, haec mitteretur.

¹⁶⁵) cf. Ritschellii de Varronis scriptis quaestionem saepius jam laudatam in mus. Rhen. a. 1848., pg. 485 et 486 et ind. schol. Bonnens. a. 1849/50.

¹⁶⁶) Mus. Rhen. a. 1848, pg. 497.

M. vero Lollius Palicanus plebis tribunus a Cicerone, ubi ejus facit mentionem, semper M. Palicanus seu Palicanus nominatur. Paulo ante hanc factae laudationes Juliae, Marii uxoris, Caesaris amitae et Corneliae, Caesaris uxoris memorantur, utraque a Caesare, uti videtur, quaestore a. n. 686, 68 habita ¹⁶⁷). Plutarchus hujus rei mentione facta addidit ¹⁶⁸), antea hunc honorem tantum provectoribus aetate mulieribus, ex hoc Corneliae funere etiam junioribus tributum esse; idem contigit Juliae, Caesaris filiae, Pompeji uxori ¹⁶⁹) a. n. 700, 54.

Jam perspicuum est Romanos sibi persuasum habuisse laudationem funebrem mulieribus non semper tributam fuisse, neque eodem tempore, quo virorum, extitisse, sed ortam esse temporibus haud remotis. Animadvertimus hanc mulierum laudationem initio raram fuisse, sub finem liberae reipublicae frequentiore factam esse, et antea provectoribus tantum aetate mulieribus concessam, tum etiam junioribus esse tributam. Caesarum temporibus mulierum laudationes pervulgatas fuisse ¹⁷⁰), his probatur exemplis: Octaviae duplex laudatio ab Augusto et Druso habita est a. n. 743. 11 ¹⁷¹), Junia, Cassii uxor, M. Bruti soror, anno sexagesimo quarto post Philippensem aciem ¹⁷²), Livia Augusta a Caligula pronepote ¹⁷³) a. 29, Drusilla, M. Le-

¹⁶⁷) Suet. Div. Jul. 6: Quaestor Juliam amitam uxoremque Corneliā defunctas laudavit e more pro rostris.

¹⁶⁸) Plut. Caes. 5: τῆς Μαρίας γυναικὸς Ἰουλίας ἀποθανούσης ἀδελφίδου ὃν αὐτῆς ἐγκώμιον λαμπρὸν ἐν ἀγορᾷ διῆλθε — —

τὸ μὲν οὖν ἐπὶ γυναικί πρεσβυτέραις λόγους ἐπιταφίους διεξιέναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις, νέαις δὲ οὐκ ὄν ἐν εἴδει πρῶτος εἶπε Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποθανούσης.

¹⁶⁹) Dio Cass. XXXIX, 64: ἐν δὲ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ Πομπηίου γυνὴ θυγάτριόν. τε τεκοῦσα ἀπέθανεν· καὶ αὐτὴν — συνήρπασαν ἐπειδὴ τάχιστα τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαίνων ἔτυχε καὶ ἐν τῷ ἀρείῳ πεδίῳ ἔθαψαν.

¹⁷⁰) Suet. Div. Jul. 6: e more laudavit.

¹⁷¹) Dion. Cass. hist. Rom. LIV, 35.

¹⁷²) Tacit. annal. III, 76.

¹⁷³) Suet. Calig. 10, Tacit. Annal. V, 1.

pidi uxor a conjugē a. 38¹⁷⁴), Poppaea a Nerone marito¹⁷⁵) a. 65 p. Chr. laudatae sunt.

6. Quis laudationem mortuo habuerit, e Polybii verbis VI, 51 intelligitur: ἄν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπεται καὶ τύχη παρὼν, οὗτος· εἰ δὲ μὴ, τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχοι, proximus igitur necessariorum, qui aderant, ita pater filium, frater fratrem aut sororem, maritus uxorem et omnino propinquus propinquum laudabat¹⁷⁶). At ii etiam, qui nullo propinquitatis vinculo mortuis conjuncti essent, laudabant et praecipue, qui eodem quo mortuus functi erant magistratu, hoc officium habuisse videntur, quod ex senatus consulto¹⁷⁷), et nobilissimis quidem, ut consentaneum est, mandabatur viris¹⁷⁸).

Quod ad laudatores e propinquorum attinet numero, diserte illo Polybii loco, liberae reipublicae temporibus, filius, si adultus erat, laudationem habuisse narratur. Quicum concinit, quod in Sullae funere Faustus filius, qui immaturus etiamtum esset¹⁷⁹) orationem illam non habuisse dicitur. Caesarum vero temporibus, saltem in ipsorum familia, hujus rei nulla habita ratio videtur, ita Augustus duodecimum annum agens praetextatus aviae Juliae laudationem habuit a. n. 703. 51: Suet. Div. Aug. 8, Quint. inst. orat. XII, 6, 1, Tiberius puer novem annorum patri Claudio Neroni a. u. 721, 33: Suet. Tib. 6, et Gajus Caesar praetextatus (seximum decimum annum tum agebat) Liviam Augustam proaviam laudavit, a. 28 p. Chr.: Suet. Calig. 10.

174) Dio Cass. LIX, 11.

175) Tacit. annal. XVI, 6.

176) Plut. Fab. Max. 24: τὸ δ' ἐγκώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προσήκοντες ἐπιτελοῦσιν, —

177) Quintil. inst. orat. III, 7: Nam et funebres orationes pendent ex aliquo publico officio, atque ex senatusconsulto magistratibus saepe mandantur.

178) Plut. Publicola 9: ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἐγκωμιάζεσθαι.

179) Appian. bell. civ. I, 105: ἐπεὶ Φαῦστος, ὃ παῖς ὁ τοῦ Σύλλα, νεώτατος ἦν ἔτι.

Jam singulas, quas traditas inveni, laudationes in ordinem certum redactas enumero: *filius patrem laudat*: Appius Claudius, qui postea decemvir est factus, patrem Appium Claudium Sabinum: Dionys. Hal. antiqq. Rom. IX, 54, Liv. II, 61; Q. Metellus patrem L. Metellum: Plin. hist. nat. VII, 43; M. Marcellus patrem ejusdem nominis, imperatorem belli Punici secundi: Liv. XXVII, 27; Tiberius patrem Ti. Claudium Neronem: Suet. Tib. 6; Tiberius Augustum: Suet. Div. Aug. 100, Dio Cass. LVI, 34; Nero Claudium: Tacit. annal. XIII, 3. *filius matrem*: Catulus matrem Popiliam: Cic. de orat. II, 11, 44; Gajus Caesar proaviam Liviam Augustam: Tacit. ann. V, 1, Sueton. Calig. 10. *frater fratrem*: M. Fabius Quintum fratrem: Liv. II, 47; Tiberius Drusum: Dio Cass. LV, 2. *frater sororem*: Augustus Octaviam: Dio Cass. LIV, 35. *pater filium*: Q. Fabius Maximus, qui postea Cunctatoris cognomen traxit, filium consularem: Cic. de senect. 4, 12, Plut. Fab. Max. 24, Serranus Messidius¹⁸⁰) quidam filium: Cic. epist. ad Quint. frat. III, 9, Augustus M. Claudium Marcellum: Dio Cass. LIII, 30, Serv. in Verg. Aen. I, 712, Augustus Drusum Liviae filium: Suet. Div. Claud. 1, Tacit. annal. III, 5, Dio Cass. LV, 2, Tiberius filium Drusum a Seiano interemtum: Dio Cass. LVII, 22, Seneca consol. ad Marc. 15, Tacit. annal. IV, 12; *maritus uxorem*: Caesar Corneliā: Suet. Div. Jul. 6, Plut. Caes. 5, M. Lepidus Drusillam: Dio Cass. LIX, 11, Nero Poppaeam: Tacit. annal. XVI, 6; *propinqui inter se*: Q. Aelius Tubero Scipionem Africanum avunculum: Cic. de orat. II, 84, 341, Q. Fabius Q. Aemiliani f. Maximus eundem Africanum patrum: Cic. pro Mur. 36, 75, Caesar Juliam amitam: Suet. Div. Jul. 6, Plut. Caes. 5, Antonius Caesarem¹⁸¹):

180) Mestitii cod. Medic., Domestici ed. Roman. Jenson. Ernest., fortasse Messidii ut lib. III, 1, 1. Orell.

181) Appian. bell. civ. II, 143: ἦν γὰρ δὴ Καίσαρι κατὰ μητέρα συγγενής.

Cic. Phil. II, 46, 90, Suet. Div. Jul. 84, Dio Cass. XLIV, 35, Appian. bell. civ. II, 143, Augustus aviam Juliam: Suet. Div. Aug. 8, Quint. inst. orat. XII, 6, 1, Augustus Agrippam Juliae maritum: Dio Cass. LIV, 28, Drusus Tiberii filius Augustum: Suet. Aug. 100, Dio Cass. LVI, 34, Caligula Tiberium: Suet. Calig. 15, Dio Cass. LVIII, 28, LIX, 3; *consul consulem*: Valerius Brutum: Plut. Public. 9, Dionys. Halic. V, 17, M. Fabius Cn. Manlium: Liv. II, 47, Antonius Caesarem: Appian. bell. civ. II, 143¹⁸²), Cornelius Tacitus L. Verginium Rufum: Plin. ep. II, 1, 6; *Caesar Caesarem*: praeter multa jam allata laudationum Caesaribus demortuis a successoribus habiturum exempla etiam Severus Pertinacem laudavit: Dio Cass. LXXIV, 5. Rarissime accidisse videtur, ut eorum, qui non arctiore quodam vinculo cum mortuo conjuncti essent, aliquis laudator existeret. In funere Sullae eloquentissimus illius aetatis vir¹⁸³), cujus nomen non traditur, laudationem habuit, fortasse Hortensius, quem illius aetatis eloquentissimum habitum fuisse constat. Neque comperimus, quis Juliam, Pompeji uxorem, mortuam laudaverit, quamquam de laudatione hac verba facit Dio Cass. XXXIX, 64. Tiberius denique primis imperii annis sociorum nescimus quem laudavit teste Cassio Dione LVII, 11.

Sequitur, ut singularis cujusdam moris mentionem faciamus. Ubi pontifex aut alius quispiam, cui mortuum adspicere ex jure sacro non liceret¹⁸⁴), laudationem funebrem habiturus

182) ἡρηνμένος εἰπεῖν τὸν ἐπιτάφιον οἶον ὑπάτος ὑπάτου.

183) Appian. bell. civ. I, 105: τοὺς μὲν ἐπιταφίους λόγους εἶπεν ὁ κραιτιστος εἰπεῖν τῶν τότε· ἐπεὶ Φαῦστος, ὁ παῖς ὁ τοῦ Σύλλα νεώτατος ἦν ἔτι.

184) Serv. in Verg. Aen. III, 64: Moris autem Romani fuerat ramum cypressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.

ibid. IV, 176: unde — pontificibus nefas — cadaver videre.

Cf. Marquardtium in Beckeri R. A. IV, pg. 198 et 252, Sturzium ad Dionem Cass. Vol. VI (II) pg. 132. 133, Lipsium ad Tacit. annal. I, 62.

erat, velamentum interjectum cadaveris adspicere arcebat. Quod factum est, quum pridie nonas Martias a. u. 742. 12 Augustus, pontifex maximus creatus et inde Caesares insecuti eodem honore ornati essent¹⁸⁵), ubi Augustus Agrippam¹⁸⁶), item anno post ubi Octaviam sororem¹⁸⁷) laudavit, atque ubi Tiberius filio Druso exequias instituit laudationemque habuit¹⁸⁸). Caesar quaestor Juliam et Corneliam funebribus laudibus ornans, non narratur id curasse, quamquam jam aliquot annis ante in pontificum collegium cooptatus erat. Sed ex mentione rei non facta minime sequitur, ut ipsa res neglecta fuerit.

7. Fridericus Ellendt in eloquentiae Romanae historia, quae est praemissa Cic. Bruti editioni, § 41 docet: *tertium eloquentiae genus, quod Graeci ἐπιδεικτικὸν Quintilianus demonstrativum vocat, ultra laudationum funebrium morem propagatum non est; illae autem dicendi quidem, sed non artis oratoriae campum quandam patefaciebant: habebantur enim non a peritissimis oratoribus sed a proximis cognatorum*. Quae omni ex parte vera esse non arbitror. Cicero enim, quamquam de orat. II, 11, 44 — 51 Antonium tertium illud genus rejicientem introducit, ta-

185) Marquardt. in Beckeri R. A. II, 3, pg. 301 et annot. 1339.

186) Dio Cass. LIV, 28: Αὐγούστος — καταλαβὼν αὐτὸν (Ἀγρίππαν) τεθνηκότα ἔς τε τὸ ἄστυ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐσεκόμισε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ προέθηκε τὸν τε λόγον τὸν ἐπ' αὐτοῦ εἶπε, παραπέτασμα τι πρὸ τοῦ νεκροῦ παρατείνας. Dio dicit se nescire, quare Augustus id fecerit, nihilominus affert, quosdam dicere, quum pontifex, alios, quum censor fuerit. Ad censorem morem non pertinuisse demonstrare studet, idem de pontifice contendit: οὔτε γὰρ τῶ ἀρχιέρεω ἀπείρηται νεκρὸν ὄραν οὔτε τῶ τιμήτῃ, obstant tamen ei aliorum scriptorum testimonia.

187) Dio Cass. LIV, 35: τὴν Ὀκταουίαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανούσαν προέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρώου, παραπέτασματι καὶ τότε ἐπὶ τοῦ νεκροῦ χρησάμενος· καὶ αὐτὸς τε ἐκεῖ τὸν ἐπιτάφιον εἶπε —

188) Seneca consol. ad Marc. 15: Tiberius Caesar et quem genuerat et quem adoptaverat amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, —

men postea 84, 341—350 eodem redit¹⁸⁹⁾ atque ea, quae minoris momenti sint et quae certum praeceptorum genus non requirant, enumerat: testimonium dicere, mandata explicare. De laudatione vero utroque loco pluribus disserit, atque adeo exemplum eximiae laudationis funebris affert, qua omnes delectati fuerint, nec dubito, quin de laudatione quoque intelligendum sit, quod dixit de iis, *quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret, sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt*. *Nostrae laudationes*, ibi inquit (de orat. II, 84, 341), *quibus in foro utimur aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est*. Quibus verbis, ejusmodi oratione parum laudis ac favoris posse comparari, dicturus videtur esse¹⁹⁰⁾. Nihilominus quae de laudationibus tradita accepimus perlustrantibus facile nobis patebit, nobilissimos oratores laudationes funebres et ipsos habuisse et aliorum in usum scripsisse¹⁹¹⁾. Valerius ille Publicola, qui collegam Brutum mortuum laudavit, quamquam disertus nominatim non appellatur, tamen idem, quod Cicero de Bruto dixit, *quis non putet eum fuisse disertum*¹⁹²⁾, vindicare sibi potuerit. Appius Claudius,

189) Cic. de orat. II, 84, 341: *illud tertium genus — quod ego initio quasi a praeceptis nostris sequeveram* spectat ea, quae dixit II, 10, 43: *nam illud tertium — etiamsi opus est, minus est tamen necessarium*, et 44: *sed non omnia quaecunque loquimur mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda*.

190) Sed memoria tenendum est hoc de laudationibus iudicium edidisse Antonium, cuius genus dicendi multo aptius iudicii quam contionibus fuisse Cic. Brut. 44, 165 contendat.

191) Quint. inst. orat. III, 7, 3: *manifestumque est errare eos, qui nunquam oratorem dicturum, nisi de re dubia putaverunt*.

Cic. de or. II, 85, 348: *de quo genere (laudationum) libitum est mihi paulo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio officii non posset, esse necessariam*.

192) Cic. Brut. 14, 53.

quamquam patris odium quasi hereditate acceperat, priusquam decemvir creatus est, populo acceptissimus fuit, quod tantum eloquentiae quadam copia fieri potuit, qua ceteri etiam decemviri praediti fuisse videntur, quippe qui tamdiu tot tantasque res populo suadere potuerint; itaque ubi Appius ille patri laudationem habuit, aperte dicitur populus tam acquis auribus eum audivisse, quam vivi (patris) accusationem audivisset¹⁹³⁾. Ipse Cicero¹⁹⁴⁾ laudationem filio a Q. Fabio Maximo Cunctatore¹⁹⁵⁾ habitam ob gravitatem ac prudentiam sentiendi a Plutarcho eximie celebratam¹⁹⁶⁾ laudibus extollit. Q. Metellus consul et dictator, belli Punicus secundi a Cicerone inter oratores nominatus¹⁹⁷⁾ patri virtutibus, meritis honoribusque ornato laudationem habuit, quae etiam post aliquot secula in doctorum manibus versabatur¹⁹⁸⁾. C. Laelius Sapiens a Cicerone saepius orator celebratus, ultimum ut honorem tribueret amico Scipioni Africano minori, duas laudationes, quarum alteram Q. Tubero¹⁹⁹⁾ alteram Q. Maximus²⁰⁰⁾ habuit, scripsit. Q. Lutatius Catulus, qui Ciceroni paene alter Laelius videbatur²⁰¹⁾, Popiliae matris laudationem habuit, qua omnes, qui aderant, inter quos M. Antonius, celeberrimus ante Ciceronem orator, maxime delectaban-

193) Liv. II, 61.

194) Cic. de senect. 4, 12.

195) orator vocatur a Cic. Brut. 14, 57.

196) Plut. Fab. Max. 1: *ἤσκει — τὸν λόγον ὄργανον παιδοῦς πρὸς τὸν δῆμον εἰ μᾶλα προπόντως τῷ βίῳ κατακεκοσμημένον. Οὐ γὰρ ἐπὶν ὠραϊσμός οὐδὲ κενὴ καὶ ἀγοραῖος χάρις ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ὃς μάλιστα Θεουκιδίδου προσεικέναι λέγουσι. Διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείας ἀποθανόντος ἐγκώμιον.*

197) Cic. Brut. 14, 57. 19, 77.

198) Plin. hist. nat. VII, 43.

199) Cic. de orat. II, 84, 341.

200) Cic. pro Mur. 36, 75. Schol. Bob. in Cic. Milon. pg. 283 Orell.

201) Cic. quaest. Tusc. V, 19, 56.

tur²⁰²). Sullam mortuum eloquentissimus illius aetatis, cuius nomen traditum non est, laudavit²⁰³). C. Julius Caesars, qui dictator fuit, idem qui traditur et linguae studiis maximam diligentiam²⁰⁴) impendisse et summa in dicendo vi excelluisse²⁰⁵), amatam Juliam et uxorem Corneliam defunctas pro concione laudavit²⁰⁶). Antonius triumvir, licet eius dicendi exercitationes a Cicerone derideantur²⁰⁷), occiso Caesare laudando miserationem et iram civium mirum in modum commovit²⁰⁸), atque ipse Cicero Porciae laudationem cum delectatione legit et emendavit²⁰⁹) aliorumque in usum funebres laudationes scripsit²¹⁰) E Caesarum temporibus, quae novimus eiusmodi laudationum exempla, pleraque imperatorum sunt antecessores suos laudantium nec tamen defuere, qui laudationem disertissimam a Cornelio Tacito collegae Verginio habitam comprobarent summaque delectatione audirent aut legerent²¹¹). Sufficiens haec, quae attuli exempla ut demonstraretur laudationibus etiam funebribus et eloquentiam adhiberi et laudem gloriamque potuisse comparari. Etsi plerumque eas habebant propinqui, tamen, ubi ipsi artis non satis periti essent, ex scripto oratoris²¹²) laudabant; oratio,

202) Cic. de orat. II, 11, 44.

203) Appian. bell. c. I, 105.

204) Cic. Brut. 72, 252.

205) Quint. inst. or. X, 1, 114. X, 2, 25.

206) Suet. Div. Jul. 6. Plut. Caes. 5.

207) Cic. Phil. II, 17: haec ut colligeres homo amentissime tot dies in aliena villa declamasti? — vini exhalandi non ingenii acuendi causa declamitas. Et vero adhibes ioci causa magistrum — rhetorem — vide autem, quid inter te et avum tuum intersit. Ille sensim dicebat, quod causae prodesset, tu cursim dicis aliena.

208) Plut. Brut. 20. Plut. Anton. 14. Dio Cass. XLIV, 35. Appian. bell. civ. II, 143.

209) Cic. epist. ad Attic. XIII, 37. XIII, 48.

210) Cic. epist. ad Q. frat. III, 9.

211) Plin. epist. II, 1, 6.

212) Cic. pro Mur. 36, 75. Schol. Bob. in Cic. Milon. pg. 283 Orell.

Cic. de orat. II, 84, 341: quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam

quam Nero in Claudii funere habuit a Seneca composita multum cultus ostendit teste Tacito annal. XIII, 3, praeterea Neronem primum ex Caesaribus fuisse, qui aliena facundia uteretur, idem docet. Viri autem eloquentiae laude insignes, ne commemoremus ex senatus-consulto laudationem meritorum virorum iis potuisse mandari, utique in funere, quod ipsorum in familiis accidisset, laudationum funebrium habendarum occasionem detrectare non potuere.

8. Jam periculum est subeundum liceatne ex rara mentione de hisce laudationibus funebribus facta ac paucis earum reliquiis dispositionem et ordinem orationum perspicere. Etiam hujus rei quasi ansam pauca Polybii praebent verba VI, 51 narrantis, rostra laudatorem conscendere defunctique laudes commemorare et, si quae dum viveret, feliciter ab eo essent res gestae²¹³), et VI, 25: absoluta hujus laudatione ad alios laudationem conferentem ab maximo natu omorium, qui adessent (jam docuimus Polybium hic in animo habuisse eos, quorum imagines sellis impositae ante rostra sederent) ordiri et decora singulorum ac res gestas commemorare: itaque bonorum praestanti laude ac fama subinde renovata, eorum gloriam, qui facinus aliquod memorabile edidissent, fieri immortalem nomenque illorum, qui de patria praeclare essent meriti, vulgo innotescentem ad posteritatis memoriam propagari. Haec, quamquam exigua sunt, certe lineamentis quibusdam imaginem laudationum funebrium adumbrant atque explentur iis verbis, quae Cicero Antonium facit dicentem. Qui etsi concedit: *non habere laudationes locum ullum in divisione partium*

scribendum, velut Q. Tuboroni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius (laudationem funebrem).

213) Similiter Dionys. Halic. V, 17: ἐξ ἀπάσης τῆς περὶ τὸν βίον ἀρετῆς οἰόμενοι (Ῥωμαῖοι) δεῖν ἐπαινέσθαι τοὺς ἀγαθοὺς, οὐκ ἐκ μιᾶς τῆς περὶ τὸν θάνατον εὐκλείας.

neque certum praeceptorum genus, et porro: *ex artificio res istas praecepta non quaerere* ²¹⁴), quamquam jam antea declaravit: *sibi non omnia, quaecunque loquamur, videri ad artem et ad praecepta esse revocanda* — nihilominus uberius harum orationum rationem enarrat ²¹⁵): *laudari posse quum ea, quae fortuna aut natura dederit hominibus, tum ea, quae ipsi sibi homines comparare possint* (simili ratione Tacitus divisit fortunae munera et virtutes ²¹⁶). Fortunae bona Cicero haec profert: *generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii et ceterarum rerum, quae sint aut corporis aut extraneae; exponendum esse laudatori, eum, qui laudetur, si habuerit, bene rebus eis usum, si non habuerit, sapienter caruisse, si amiserit, moderate tulisse; de virtutibus mortui dicenti explicandum esse docet, quid sapienter is, quem laudes, quid liberaliter, quid fortiter, quid juste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit aut tulerit*. Ad quae amplior demonstratio bene quadrat a Cicerone alio loco ²¹⁷) exhibita, ubi fortunae munera et virtutem disjungens illa negat habere in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putetur; sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernatur, etiam fortunae bona tractanda esse judicat. Neque dissentiunt, quae Quintilianus ²¹⁸) de laudationibus profert, maximique momenti est, quod dicit, *proprium laudis esse res amplificare et ornare* ²¹⁹). Idem fatetur variam esse laudem hominum, referendam esse ad tempora, patriam,

214) Cic. de orat. II, 11, 50.

215) Cic. de orat. II, 11, 44—51.

216) Tacit. annal. XVI, 6: ductae tamen publicae exequiae (Poppaeae), laudavitque ipse (Nero) apud rostra formam eius, et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus.

217) Cic. de orat. II, 84, 342 — 85, 348.

218) Quint. inst. orat. III, 7 de laude et vituperatione agit.

219) ibid. III, 7, 6.

220) id. III, 7, 10.

majores ²²⁰), ipsius hominis vero laudem ex corpore et extra positus peti debere ²²¹), animi semper veram laudem esse, corporis leviores videri ²²²), omnia, quae extra nos bona sint, quaeque hominibus forte obtigerint, non ideo laudari, quod quis ea habuerit, sed quod iis honeste sit usus ²²³). Quod vero ad singulas funebrium laudationum attinet partes, finiri videntur solitae esse deorum invocatione, quam quidem in extrema parte laudationis a Q. Fabio Maximo in mortuum Scipionem Africanum minorem habitae, fuisse proditum habemus ²²⁴), neque deesse videmus in laudatione funebri, quae Thuriae cuidam a conjuge L. Lucretio Vespillone habitae esse putatur ²²⁵). Unde, illam sententiam e laudatione ab Augusto Drusi in honorem habitae a Suetonio allatam exeuntis orationis locum tenuisse ²²⁶) conicere licuerit. In laudatione funebri, quam Caesari ab Antonio habitam tradit Cassius Dio ²²⁷), primum de origine Caesaris tum de viro ipso ejusque rebus gestis dicitur: illud nescimus, utrum rerum fidem scriptor secutus sit an ipse hanc orationem effinjerit. Similis est ratio laudationis in Claudii funere a Nerone habitae: antiquitas generis, consulatus et triumphum majorem, liberalium artium commemoratio, nil triste eo regente reipublicae accidisse, providentia ac sapientia: Tacit. annal. XIII, 3. De actione harum orationum Quintilianus refert inst. orat. XI, 3, 153 funebres contiones tristes ac summissas fuisse.

Alio modo, uti rei natura fert, in mulierum laudationibus

221) id. III, 7, 12.

222) id. III, 7, 12, 7, 15.

223) id. III, 7, 13.

224) Cic. pro Murena 36, 75. Schol. Bob. in Cic. Milon. 7, 2 pg. 283. Orell.

225) Orelli inscr. 4859. Philippi a Turre observat. apud Orell. II, pg.

352 sqq.

226) Suet. Div. Claud. 1: cum Augustus tanto opere et vivum dilexerit — et defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus sit, similes ei Caesares suos facerent, sibi tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.

227) Dio Cass. XLIV, 36—50.

funebribus, quamquam earum munera fortunae (i. e. corporis et generis laudes) eadem fuisse ac virorum necesse est, virtutes fuere tractandae, quum mulierum virtutes aliae habitae sint ac virorum²²⁸). Praeter pietatem, quam mulier mortua erga conjugem, liberos, propinquos habuerit²²⁹), praeter laudem bonae conjugis, quae liberos pepererit aut domum vacuum esse non sit passa²³⁰), praecipue ea, quae de hereditate in conjugis seu liberorum commodum constituerit, laudantur²³¹). Inter singulas bonae feminae virtutes et lanificium exercuisse et sine superstitione eam fuisse praecipua commemoratione dignum videtur²³²). Praeterea jam facile intelligitur pro variis rebus variisque hominum fatibus laudationum singulas partes non fuisse easdem, ita Thuriae laudatio maximam partem meritis ejus de conjugate profligato triumvirorum proscriptione revocando est dicata; ita Porciae, amitae uxoris M. Bruti, quae particeps ejus consiliorum fuerat et quae de republica sentiret, morte sanxerat, laudationem funebrem credibile est propter ipsum argumentum sociis placuisse ideoque diu multumque fuisse in manibus²³³). Ita in Tiberii mortui laudatione Caligula de Augusto, de Germanico ac de semet ipso gloriose ac magnifice multa praedicans, tacens vero de ipso laudationis argumento iudicium omnibus satis apertum exercuit²³⁴).

228) laud. Murdiae fragm. apud Orell. inscr. 4860: quum omnium bonarum feminarum simplex similisque esse laudatio soleat, quod naturalia bona propria custodia servata varietates verborum non desiderant. — — — quia acquirere novas laudes mulieri sit arduum.

229) laud. Murdiae, Orell. 4860., laud. Thuriae Orell. 4859, part. alt.

230) laud. Thuriae part. prior.

231) laud. Thier. part. alt., laud. Murd.

232) laud. Murd. in fine, laud. Thur. part. alt.

233) Cic. epist. ad Attic. XIII, 37. XIII, 48.

234) Dio Cass. LIX, 3 fin. ἐποίησατο μὲν γὰρ καὶ λόγους [ἐπ' αὐτῷ (Τιβερίῳ)] ἀλλ' οὗτοι γε καὶ ἐκείνον οὕτως ἐπαινῶν ὡς τοῦ τε Αὔγουστου

9. Laudationes funebres gravissimam partem efficiunt dicendi generis tertii, quod Quintilianus demonstrativum vocat. Ex omni hoc genere solas satis antiquis temporibus literis mandatas ac non solum servatas sed etiam legendo divulgatas fuisse comperimus. Cicero enim uti antiquissimarum facit mentionem²³⁵) comparatque eas cum oratione Appii de Pyrrho; extabant etiam eius temporibus, ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eisdem generis occidisset et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Tamen in iis multa dicit narrata esse, quae facta non sint quibusque historia rerum Romanarum facta sit mendosior. Idem queritur Liv. VIII, 40. Unde apparet historicis eas laudationes patuisse adhibitasque esse ab iis, id quod factum esse a L. Coelio Antipatro annalium scriptore, qui Gracchorum aetate vixit, etiam alio loco²³⁶) Livius discrete testatur. Item laudationes familiae Porciae²³⁷) una cum commentario quodam de hac familia memorantur. Quae omnia non solum literis mandata, sed etiam, ut adhiberi possent, edita erant. Laudationes a Laelio in mortem Africani minoris scriptae a nepotibus habitae non solum Ciceronis²³⁸) aetate, verum etiam multo post in hominum erant manibus²³⁹). Q. Fabius Maxi-

καὶ τοῦ Γερμανικοῦ τὸν δῆμον ἀναμνηστικῶν, καὶ ἑαυτὸν αὐτοῖς παρακατατιθέμενος.

235) Cic. Brut. 16, 61: Et, Hercules, haec [eae cod. Venet. I et ed. princ.] quidem extant. Quomodo Krause fragm. historic. pg. 29 putare possit, his verbis declarari paucas tantum laudationes funebres Ciceronis tempore extitisse, difficile est intellectu, quum diserto doceatur, extare eas a familiis servatas. Id vero, quod Cicero paulo antea dixit 'nonnullae' [nisi quem Appi Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant] ad 'delectant' referendum censeo, ita ut dictum sit: non omnes funebres laudationes tantum delectationis praebere.

236) Liv. XXVII, 27.

237) Gellii noct. Att. XIII, 19.

238) Cic. pro Mur. 36, 75.

239) Schol. Bob. in Cic. Milon. 7, 2. pg. 283 Orell.: super eius (Scipionis) laudibus extat oratio C. Laelii Sapientis.

mus Cunctator in filium laudationem, quae multo post etiam legebatur²⁴⁰) et habuit et scriptam edidit²⁴¹). Ac simile aliquid Plinii verba²⁴²) significant: *Q. Metellus in laudatione patris sui L. Metelli scriptum reliquit*. Cicero vero quod dicit: *nostrae laudationes scribuntur ad funebrem contionem*²⁴³), id non solum ad illustrandam nobilitatem et servandam in domestico tabulario memoriam factum est, verum etiam ad divulgandam inter homines mortui gloriam. Ita etiam quod Suetonius²⁴⁴) tradidit, Augustum mortuo Druso Liviae filio non solum pro concione laudationem habuisse sed vitae etiam memoriam composuisse, intelligendum esse censeo: laudationem habitam postea quibusdam rebus commutatis esse editam. Laudationes, quae habitae esse non memorantur, sed scriptae erant in memoriam mortuorum, nominantur: Ciceronis et M. Junii Bruti libelli, quibus Catonem laudavere: Cic. ad Attic. XIII, 46. C. Plinii in Cottii (filius erat Vestricii Spurinnae) memoriam compositi duo libelli: Plin. epist. II, 7. III, 10. Laudationem scribere, ut iam supra vidimus, non necessario ejusdem fuit, qui eam esset habiturus, sed potius, ubi laudator sibi non satis eloquens videretur, alteri artis ac disciplinae perito componendae laudationis munus injunxisse videtur. Itaque Cicero dicit²⁴⁵) oratori non modo ut eiusmodi laudationes habeat, sed etiam aliis ut scribat accidere, cujus rei Laelii affert exemplum, atque ipse ille Cicero, quod epistolae eius docent, idem officium aliis praestitit²⁴⁶). Inter

240) Cic. de senect. 4, 12. Plut. Fab. Max. 1.

241) Plut. Fab. Max. 24: καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν.

242) Plin. hist. nat. VII, 43.

243) Cic. de orat. II, 84, 341.

244) Suet. Div. Claud. 1: Nec contentus elogium tumulo eius versibus a se compositis insculpsisse, etiam vitae memoriam prosa oratione composuit.

245) Cic. de orat. II, 84, 341.

246) Cic. ep. ad Quint. frat. III, 9.

Caesares primus Nero aliena facundia usus est, laudavit Claudium oratione, quam Seneca composuerat²⁴⁷).

Oratio quum multas res et privatas et publicas tractaret, haud raro videtur accidisse, ut ex scripto recitaretur, quod interdum aperte traditur, a Cicerone ubi funeris Serrani²⁴⁸) mentionem facit et de Druso Tiberii filio²⁴⁹) in funere Augusti.

Antiquis literarum Romanarum temporibus tertii generis eloquentiae fere summum funebres laudationes tenuere locum, Caesarum vero aetate vivorum laudationes increbruerunt, itaque, uti constat inde ex illo Plinii Panegyrico, qui Trajano dictus est, usque ad varias et versibus et soluta oratione compositas laudes et panegyricos Claudiani Ennodiique satis longa extat etiamnum series laudationum. Quae haud ita longe abesse videntur a vetustioribus illis laudationibus, quum ad has quoque accommodare liceat rationem a Cicerone de orat. II, 84, 341 initam: *ut nosmet ipsi ornandi causa Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus hic locus*. Illis vero posterioris temporis laudibus versibus compositis titulos quosdam sepulcrales monumentis Scipionum aliorumque hominum (Orell 4848) inscriptos adjungere licuerit. Atque cum Suet. Div. Claud. I narret ab Augusto Drusum pro concione laudatum et vitae etiam memoriam prosa oratione compositam esse, coniciamus licet jam illis temporibus etiam versibus compositas laudationes non prorsus fuisse inusitatas.

Quum funebres laudationes eundem fere finem ac tituli sepulcrales et elogium spectent, maxima eorum inter se est similitudo, tituli que sepulcrales saepe tantummodo laudationum bre-

247) cf. Tacit. annal. XII, 3.

248) Cic. ep. ad Q. fr. ibid.: laudavit pater scripto meo.

249) Dio Cass. LVI, 34: προτεθείσης δὲ τῆς κλήνης ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, ἀπὸ μὲν ἐκείνου ὁ Δροῦσός τι ἀνέγνω, —

viaria sunt ²⁵⁰), atque interdum ipsae laudationes titulorum loco sepulcheris incisae inveniuntur ²⁵¹).

10. Quintilianus inst. orat. III, 7, 6 e laudationibus, quae habebantur, sententiam generalem repetens, proprium esse laudis docet amplificare et ornare. Quae quum ita sint, quis in iis singula quacque ad historiae fidem narrata fuisse putet? Quae ad stirpem hominis explicandam pertinere, ut fragmentis docemur ²⁵²) ob gloriam familiae illustrandam ad fabulosa potissimum tempora deosque gentis auctores ascendebant ²⁵³). Nec facile quisquam expectaverit, in laudatione, res si qua dubia esset aut diverso modo eadem parraretur, laudatorem iniquiori minusve splendidae relationi fidem tribuisse. Jam ipsa rei natura fert, eiusmodi ornamenta atque amplificationes minus in demortui laudandi ipsius factis fatisque, quarum rerum testes participesque rostra circumstarent, quam in remotioribus rebus et maiorum virtutibus enarrandis esse adhibita. Sed omnino laudationes funebres inter famosos suspectosque fontes habebantur ab historicis, Cic. Brut. 16. 61: *his laudationibus historia rerum nostrarum facta est mendosior, multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut, si ego me a M' Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul anno decimo post exactos reges fuit.* Item Livius

250) cf. Zellii elogia Romanor. Stutgardiae 1847.

251) ut laudationes Murdiae et Thuriae. Orell. inscr. 4859. 4860.

252) cuius rei exemplum est laudatio Juliae Caesaris amitae, Suet. Div. Jul. 6.

253) Constat Cloelios, Caecilios, Junios, Nautios originem gentis ad Aeneae comites rettulisse, Fabios ad Herculem, Mamilios ad Telegonum. De Cloeliis cf. Pauli Diac. exc. ex Festo pg. 55. Muell., de Caeciliis ibid. pg. 44, de Junii Dionys. Halic. IV, 68, de Nautiis Festi fragm. I. XIII, pg. 166. Muell., Varron. de familiis Trojanis secundum Serv. in Verg. Aen. V, 704, de Mamiliis Festi fragm. I. XII, pg. 130, de Fabiis Pauli Diac. exc. ex Festo pg. 87 et Plut. Fab. Max. I.

VIII, 40: *vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio traheret, inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa.* Unde concluderis laudationes rerum scriptoribus fontes fuisse, id quod etiam diserte perhibetur ²⁵⁴). Coelius enim Antipater de morte Marcelli discrepantes tradidit narrationes, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuisset, tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta attulit. Ipsam igitur viri laudationem in manibus habuit, non traditam de eius maioribus narrationem fando accepit, attamen illi assentiri non potuit. Colligimus inde non illis demum temporibus, quibus Cicero Brutum scripsit a. u. 707, et paulo post Livius historiarum libros composuit, hanc de funebrium laudationum fide suspicionem inter doctos homines invaluisse sed fere solidum ante seculum. Nam Coelius Antipater unus est ex plurimis rerum scriptoribus, quos feracissima Graecorum aetas vidit. Quodsi tam mature eorum fontium parum sincera fides perspecta est, iam praeter hos fontes etiam alios fuisse, quibus illorum vitiosa conditio posset demonstrari, atque homines doctos per illa secula non solum de singulis quibusdam rebus ad antiquitatem Romanam spectantibus quaesivisse sed etiam de fide fontium et auctoritate disputationes instituisse ducamus necesse est. Cicero ac Livius, ut satis constat, antiquarum rerum Romanarum fontes paucos vel nullos oculis suis perspexerunt, itaque quod illi hac de re dicunt, aliorum hominum literatorum atque has res doctorum redolet iudicium. Si vero iam per omne seculum doctis liquebat, quae esset laudationum funebrium atque imaginum titulorum conditio, non possumus quin fateamur laudationum istarum nullam fere extitisse vim ad cor-

254) Liv. XXVII, 27.

rumpendam historiae fidem. Sed unde illae Ciceronis Liviique querelae? Quas si diligentius examinaverimus, facile intelligemus non spectare nisi ad singulas quasdam et minus graves historiae Romanae partes, neutiquam vero ipsa fundamenta attingere. Cicero vel omnes vel gravissimas, quibus historia sit vitiata rationes afferens falsos nominat triumphos, magistratus, genera. Nec tamen contendit omnino fictos esse triumphos rerum nunquam gestarum, sed falsos triumphos eos dicit, qui vere habiti in falsos homines sint translati aut ficti rerum prospere magnificeque gestarum, neque statuit consulatus rerum gestarum gloria insignes, qui nunquam fuerint, esse confictos sed factum esse ait, ut numerus consulatum nonnunquam falso auctus sit. Neque Ciceronis verba cum iis, quae Liv. VIII, 40 tradit, pugnant; non res prorsus commenticias sed singulorum hominum facta et publica rerum monumenta confusa esse conqueritur. Agitur apud eum, utrum a. u. 431 A. Cornelius dictator ludorum Romanorum habendorum an belli gerendi fuerit, acceditque, quod capita 38 et 39 declarant, quaestio altera, num eo anno A. Cornelius victor Samnites fuderit, itaque, quod aliunde apparet²⁵⁵), non ad dubitatum est illud bellum, quod feliciter gestum esse omnes consensere fontes, sed utrum a consulibus an ab Aulo Cornelio dictatore sit gestum²⁵⁶).

Profecti ex his laudationibus erant familiarum libri²⁵⁷), quibus potius posse crimini dari putamus quarundam rerum fidem vitiatam esse. Ita Gellius XIII, 19 de progenie M. Porcii

255) Liv. I. 1, Plin. hist. nat. VII, 43, Zonar. VII, 26, Aurel. Vict. vir. ill. 32, fast. triumph. Capitolin.

256) Quod Corn. Nep. Cat. 3 narrat, Catonem in Originibus, quas composisset, bellorum duces non nominasse, sed sine nominibus res notasse, non huius Catonis inventum videtur fuisse sed communis antiquorum fontium mos, qui, quum postea homines comparando conciendoque nomina illa omnia invenire studerent, facile causam praebuit adeundi laudationes funebres et imaginum titulos, quibus ipsi viri nominatim ob rerum gestarum splendorem essent celebrati.

Catonis censorii auctores citat et laudationes funebres et librum commentarium de familia Porcia. His in libris non tam facile quam in laudationibus ea, quae de vita mortui vera aut vero propior anarrarentur, ab illis ad maiores spectantibus rebus saepe confictis potuisse secerni consentaneum est.

Ex illis laudationibus aut potius ex commentario de familia quadam Fabiae gentis composito ea fluxerint, quae parum congrua cum aliis narrationibus in Livii libris VIII, IX, X de rebus a Q. Fabio praeclare gestis legimus²⁵⁸). Ut ipse Livius explicat, earum rerum ab aliis quaedam praetermittentur, quaedam alio modo tradentur, inter eos vero, qui has res gestas tradiderint, Fabium quoque historicum appellat²⁵⁹).

Similiter honorum seriem, quibus Liviam gentem ornatam fuisse tradit Suetonius²⁶⁰), e laudatione vel eo, quod diximus commentariorum genere repetita esse crediderim²⁶¹).

257) Id, quod, eiusmodi libros ante Varronis tempora fuisse, scriptorum testimonii firmare non possumus, quae nunc est nostra antiquorum literarum Romanarum scientia, argumento esse non potest, ante Varronem nullos familiarum libros extitisse. Simile aliquid L. O. Broecker posuit in libro: Untersuchungen über die Glaubwürdigkeit der alt-röm. Geschichte. Basil. 1855. pg. 246, anot. 16.

258) Liv. VIII, 30. IX, 36. X, 3. 9.

259) Liv. VIII, 30.

260) Suet. Tiber. 3: quae familia, quamquam plebeia, tamen et ipsa admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura etiam ac magisterio equitum honorata, clara et insignibus viris, ac maxime Salinatore Drusisque.

261) Similis liber commentarius de gente Vitellia videtur fuisse libellus Q. Eulogii ad Q. Vitellium Divi Augusti quaestorem, de quo Suetonii Vitell. I. haec sunt verba: Q. Eulogii ad Q. Vitellium Divi Augusti quaestorem libellum quo continetur Vitellios Fauno, Aboriginum rege et Vitellia, quae multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperasse.

Eiusmodi fuere commentarii, quos Corn. Nep. Attic. 18, 3 memorat: Bruti rogatu Juniam familiam a stirpe ad ipsam suam aetatem enumeravit, notans qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset, pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi, Fabiorum et Aemiliorum.

CAP. IV.

LAUDATIONUM FUNEBRIUM RELIQUIAE.

Ipsi veteres tradiderunt funebres laudationes scriptoribus alia literarum genera tractantibus fuisse fontes; quo in genere tametsi haud frequens est laudationum commemoratio eamque ob causam nostra notitia admodum manca, est tamen ubi vim laudationum quamvis non disertis verbis nominatarum satis certo cognoscere nobis videamur. Cujus rei unum afferam exemplum. Plutarchus in vita Fab. Max. I de origine Fabiae gentis narrat: Νυμφῶν μιᾶς λέγουσιν, οἱ δὲ γυναικὸς ἐπιχωρίας Ἑρακλεῖ μεγαίστης περὶ τὸν Θύμβριν ποταμὸν γενέσθαι Φάβιον, ἄνδρα πολὺ καὶ δόκιμον ἐν Ῥώμῃ τὸ Φάβιον γένος ἀφ' αὐτοῦ παρασχόντα — ac postea in eodem cap. πολλοὺς δὲ καὶ μεγάλους τῆς οἰκίας ἐξενεγκαμένης ἄνδρας ὑπὸ Ῥούλλου τοῦ μεγίστου καὶ διὰ τοῦτο Μαξίμου παρὰ Ῥωμαίους ἐπονομασθέντος τέταρτος ἦν Φάβιος Μαξίμος. Idem quum in fine capituli de orationis vi Fabii Maximi Cunctatoris disserat dicens διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείας ἀποθανόντος ἐγκώμιον — veri simillimum est has res de origine gentis traditas e laudatione funebri citata esse haustas, praesertim quum omnis antiquior Fabiae gentis historia ejusmodi laudationes vel monumenta et familiae ornamenta ad illustrandam gentis nobilitatem spectantia sapiat ²⁶²).

Quantam laudationes funebres vim ad elogia historica stantibus et monumentis inscripta ²⁶³) habuissent, exemplo quodam

262) Jam supra hanc rem brevibus tractavimus, pg. 75.

263) Jam consentaneum est ejusmodi vim maximam fuisse, ubi idem homo laudationem funebrem, elogium et vitam mortui composuisset, quod scimus ab Augusto factum esse, qui Drusum mortuum pro concione laudavit, elogium tumulo eius versibus a se compositis insculpsit et vitae memoriam prosa oratione composuit. Suet. Div. Claud. I.

manifesto posset demonstrari, si illud ex Mazochii temporibus vulgatum in L. Caecilium Metellum elogium, quod postea diligentius tractabimus, non esse suppositum probabile esset. Seriem ejusmodi elogiorum, quorum sincera incorruptaque Orellius inser. 534—546 exhibuit, perlustrantibus nobis facile apparebit eorum multa laudationibus esse persimilia, neque minus ex illis laudationibus haud pauca brevium argumentorum de viris illustribus urbis Romae, quae nomine Sexti Aurelii Victoris servantur, sint profecta. Origo certe eorum satis antiqua videtur neque incredibile est frustra quaedam illis inesse eorum, quos Hieronymus in proleg. in librum de scriptoribus ecclesiasticis seu de viris illustribus nominavit ²⁶⁴), Varronis, Santrae, Nepotis, Hygini, Suetonii. Itaque Borghesii opinio ²⁶⁵), hoc libello nomine Aurelii Victoris ornato inscriptionum collectionem e basilica seu foro oppidi cujusdam exhiberi, non omnino vana sit, quamquam Niebuhrius, elogia ibi virorum illustrium e foro Augusti agnoscens, justo longius progressus est ²⁶⁶). Jam Hieronymi temporibus fuere, qui illum ejus libellum de viris illustribus epitaphium vocandum censerent ²⁶⁷). Utique differentia vitarum et ab oratoribus et ab historicis scriptarum non videtur tanta fuisse, quin ex illis in has multa sint translata ²⁶⁸).

264) Hieronym. proleg. in librum de scriptoribus ecclesiasticis: fecerunt hoc idem apud Graecos — — — Apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et, ad cuius exemplum provocas, Tranquillus. Sed non mea est illorum similia conditio: illi enim historias veteres annalesque replicantes potuerunt quasi de ingenti prato non parvam opusculi sui coronam texere.

265) Borghesi in Giornale Arcadico 1819, pg. 62: un' antica collectanea dei titoli, che ornavano la basilica o il foro di una qualche città.

266) Niebuhrii R. H. III, pg. 77, annot. 122: impugnatur eius sententia a Beckero Antiqq. Rom. I, pg. 56.

267) S. Hieronymi epist. 112 ad Augustinum.

268) Similia exempla posterioribus ac recentissimis temporibus breves vitae Sanctorum in Breviario Romano, elogia et breves vitae, quae, ex quo imagines exprimendi est inventa notitia, increbruerunt, laudationes funebres in academiis habitae, praebeant.

Ea laudationum fragmenta, quae certa viderentur, collegi et explanavi.

1. Plinii hist. nat. VII, 43: *Quintus Metellus in ea oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, quindecimviri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit decem maximas res optumasque, in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consummasse eum. voluisse enim primum bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse, haec contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam. Longum est refellere et supervacuum abunde uno casu refutante siquidem is Metellus orbam luminibus exegit senectam amissis incendio, cum Palladium raperet ex aede Vestae, memorabili casu sed eventu misero quo fit ut infelix quidem dici non debeat, felix tamen non possit. tribuit ei populus Romanus quod nulli alii ab condito aevo, ut quotiens in senatum iret curru veheretur ad curiam. magnum et sublime, sed pro oculis datum. 44. Huius quoque Q. Metelli, qui illa de patre dixerat filius inter rara felicitatis humanae exempla numeratur²⁶⁹.*

Verba inde ab *L. Metelli*' usque ad *Romam conditam*' ex oratione, quam Q. Metellus supremis laudibus patris sui habuit, hausta, itaque laudationis funebris particulam esse, iam similitudo, quam cum elogiis habent, indicaret, etiamsi a Plinio nil

269) Cf. de hoc fragmento: A. E. Eggeri Latini sermonis vestustioris rell. select. Paris. 1843. XI, § 1, pg. 109. 110. H. Meyeri Oratorum Romanorum fragmenta, Turici 1842, pg. 10. de rara felicitate filii hujus Q. Metelli cf. Velleii Paterc. hist. Rom. I, 11, qui ita loquitur ut conicere possimus in eo laudando similes res prolatas fuisse.

eiusmodi traditum esset. Etiam in iis, quae sequenter, verbis, laudationis reliquiae inesse videntur, et *is Metellus*' quidem usque ad *ex aede Vestae*', et *tribuit ei*' ad *curiam*'. Sequentis enim capitis 44 initium: *huius Q. Metelli, qui illa de patre dixerat filius*' eo usque sententiam orationis pertinuisse monstrat. His cum reliquiis laudationis mire concinit elogium illius viri primum editum a Mazochio in epigrammat. antiquae urbis Romae 1521, pg. 19, 1, tum a Grutero in thesauro inscr., pg. 377, n. 4, Morcellio de stilo inscript. Lat. (Romae 1781), pg. 264, Zello Roman. elog. (Stuttgartiae 1847), pg. 120:

L. Caecilius L. F. Metellus, Pont. max. cos. II. Dictator Mag. eq. XV vir agris dandis, qui primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho. Primarius bellator, optimus orator, fortissimus imperator. Auspicio suo maximas res gessit, maximo usus honore, summa sapientia, maximus senator. Partam ex aequo pecuniam magnam singulis liberis reliquit. Clarissimus in civitate fuit. Tributum ei ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam, quod a condito aevo nulli alii contigit.

Tanta huius elogii atque illius loci Pliniani est consensus, ut aut utrumque e funebri laudatione haustum aut elogium ad locum Plinii confictum esse necesse sit, sed est, cur suppositum esse statuamus, quum primi iam editores ex manuscripto vulgaverint, monumentum vero ipsum unde petitum sit, nusquam apparuerit. At fuisse eiusmodi cum inscriptione Romae monumentum, testis est Dionys. Halic. antiqq. Rom. II, 66. De virginibus Vestae sacerdotibus verba faciens servata esse narrat sacra aedis Vestae opera L. Metelli pergens: ἐφ' ᾧ τιμὰς παρὰ τῆς πόλεως ἐξηνέγκατο μεγάλας, ὡς ἡ τῆς εἰκόνας αὐτοῦ ἐν Καπιτωλίῳ γινομένης ἐπιγραφή μαρτυρεῖ. Orellius inscr. 546 certe contendit elogium esse suppositum.

Hanc funebrem laudationem a Plinio citatam initio belli

Punici secundi habitam esse probabile est. Ad summam enim senectutem pervenisse L. Metellum narrat Cic. de senect. 9, Valerius Max. VIII, 13, 2 eum etiam vitae spatium M. Valerii Corvi, qui centesimum annum compleverit, aequasse tradit. Iterum hic Metellus consul fuit 507. 247, quatuor annis post a. 511. 243 pontifex maximus creatus, hoc munere per viginti duos annos usque ad a. 533. 221 functus est, ita ut pontificatus finis a priore consulatu triginta fere annos abesset, unde sequitur, ut non admodum juvenis consulatum petiverit. Circa a. u. 533. 221 obiisse eum quominus suspicemur non obstant, quae Cicero loco citato Catonem dicentem facit: *ego L. Metellum memini puer — ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis*, itaque Catonem a. 520. 234 natum tempore, quo Metellus mortem obierit, tertium decimum fere aetatis annum agere conicere possumus. De L. Metelli vita adeundus Drumannus hist. Rom. II. et Haakhius in Paulii encycl. sub. v. Caecilii II, pg. 22.

Pontificis] Valer. Max. VIII, 13, 2: *Metellus quarto anno post consularia imperia senex admodum pont. max. creatus, tutelam caerimoniarum per duos et viginti annos, neque ore in votis nuncupandis haesitante, neque in sacrificiis faciendis tremula manu gessit.* Cit. Cat. mai. 9: *Ego L. Metellum memini puer (qui cum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit) ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam non requireret.*

Itaque, quum alterius consulatus Metelli annus 507. 247 sit, ab anno 511. 243 usque ad a. 533 — 221 pontif. max. fuerit necesse est.

bis consulis] ex fastis Capitolinis primum a. 503. 251 cum C. Furio Pacilo, iterum a. 507. 247 cum Fabio Buteone.

dictatoris] comitiorum habendorum causa, a. u. 530. 224, fast. Capit.

magistri equidum] A. Atilii Calatini dictatoris a. 505. 249, ibid.

quindecimviri agris dandis] nescimus quo anno.
qui primus elephantos] quibuscum parum conveniunt, quae Plinius alio loco hist. nat. VIII, 6 tradit: *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello et boves Lucas appellavit in Lucanis visos anno urbis quadringentesimo septuagesimo secundo, Roma autem in triumpho septem annis ad superiorem numerum additis* 270). De huius Metelli triumpho disserens pergit Plinius: *eadem (Roma vidit) plurimos anno quingentesimo secundo victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. centum quadraginta duo fuere aut ut quidam CXL transvecti ratibus, quas doliorum consortis ordinibus imposuerat. Verrius eos pugnasse in circo interfectosque iaculis tradit penuria consilii, quoniam neque ali placuisset neque donari regibus. L. Piso inductos dumtaxat in circum atque, ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos. nec quid deinde vis factum sit auctores explicant, qui non putant interfectos.*

Liv. epit. libri XIX: *Caecilius Metellus — speciosum egit triumphum tredecim ducibus hostium et centum viginti elephantis in eo ductis.* Dionys. Halic. antiqq. Rom. II, 66: τῶν ἱεροφαντῶν τις Λεύκιος Καικίλιος ὁ καλούμενος Μέτελλος ἀνὴρ ὑπατικός, ὁ τὸν αὐτῶν ἐκ Σικελίας ἀπὸ Καρχηδονίων καταγαγὼν ἑκτὴ καὶ τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ἐλεφάντων θράμβον — Polyb. I, 40 de eadem victoria: θηρία δὲ σὺν αὐτοῖς μὲν Ἴνδοῖς ἔλαβε δέκα. τῶν δὲ λοιπῶν τοὺς Ἴνδοὺς ἀπερρώφωτων μετὰ τὴν μάχην περιελασάμενος, ἐκυρίευσεν πάντων.

multos liberos relinquere] Quintum, Lucium, Marcum Metellos. Cf. Drumanni hist. Rom. II, pg. 19. 20.

tribuit ei populus Romanus] Dionysius quoque Halicarn. antiqq.

270) idem spectat locus Dionys. Halic. excerpt. ex antiqq. Rom. XIX, 14 narrantis octo vivos elephantos Pyrrhi a Romanis captos esse. Sed ex frgm. Critolai Epirot. lib. III (Muelleri frgm. hist. Graec. IV, pg. 372) Aemilius Paullus, ubi Pyrrhum vicit, CLX turrigeros elephantos Romam misit.

Rom. II, 66 Metellum pontificem narrat tempore primi belli Punicum neglecta propria salute summo cum periculo ausum esse in ardens penetrale irrumpere et sacra a virginibus deserta ex ipso incendio erepta servasse et ob id praeclarum facinus magnos honores a civitate in eum collatos esse, ut ipsum statuam eius in Capitolio erectae elogium testetur. Attamen neque caecum eum fuisse neque ius carpento vehendi obtinuisse memorat nisi forte magni honores, quos dicit, id indicant. Neque luminis oculorum amissi mentio incitur a Valerio Max. I, 4, 4: *insequenti nocte aedes Vestae arsit, quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolome servavit.* Ovidius in fast. VI, 437—455 (431—449 ed. Merkel.) templi incendium et sacra per Metellum servata vivide enarrans caecitatem praeterit, nisi versus 453 (447): *‘sit capitis damno Roma soluta mei’* eo referendus est, quum in penetrale aedis procedere ne pontifici quidem maximo concessum fuerit. Nec Livii epit. lib. XIX: *‘quum templum Vestae arderet Caecilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit’*, caecitatem commemorat.

2. Prisc. inst. VIII, 16 (pg. 380 ed. Hertzii): *Fabius Maximus: amitti quam apisci. passive omnia sunt prolata.*

Ad Q. Fabii Maximi Cunctatoris laudationem funebrem Quinti filii hoc fragmentum refert Meyerus in fragm. oratt. Rom., pg. 5. Hertzius putat posse etiam ad Q. Fabii Maximi Allobrogici laudationem P. Scipionis Africani minoris, de qua Meyerus l. l. pg. 250 disserat, pertinere; sed ea laudatio a Laelio composita huius nomine, ubi eius fit mentio, signatur. cf. Schol. Bob. in Cic. Milonian. pg. 283. Orell.

Inter Q. Fabii Maximi Serviliani annalium rell. exhibuit haec verba Krause. historic. Rom. fragm. pg. 171.

Facile est intellectu quam dubia sit eorum sententia, qui ex duobus hisce verbis hoc fragmentum oratori magis quam historico proprium esse iudicent.

Habuit sane G. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator laudationem Quinti filii, qui consul fuerat a. 541. 213; quo tamen anno obierit, nescimus. Erat ea laudatio in manibus Ciceronis, Cic. Cat. mai. 4, 12, commemorat eam Plutarchus in vita Fabii I et 24, scriptam ediderat Fabius hanc orationem, at nihil est, cur persuasum habeamus, eam solam orationem eum composuisse, praesertim quum a Cic. Brut. 14, 57 et 19, 77 inter oratores sui acvi nominetur.

3. Schol. Bobiens. in Ciceronis orat. pro Milone VII, 2. pg. 283 et 284. Orell. *Super eius* (Scipionis Africani minoris) *laudibus extat oratio C. Laelii Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis, in cuius extrema parte haec verba sunt:*

quapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio hac civitate potissimum natus est: neque ita moleste atque aegre ferri quam ferundum est, quum eo morbo mortem obiit et in eodem tempore periit, quum et vobis et omnibus, qui hanc rem p. salvam volunt, maxime vivo opus est, Quirites 271)

quapropter] ita Orellius, *quapropter* cod. quod Meyerus frgm. oratt. tuetur; similiter veteres quianam pro quare, quod Vergilius quoque carminibus suis inseruit teste Quintiliano VIII, 3, 25. *hac civitate]* cod., *in hac* Orellius et Meyerus *mortem obiit]* ita Orellius, cod.: *cumeomorborumtemovitetineotemporepetuit, Maius cum eo morbo obiit.*

in eodem tempore] *in eo tempore* Orellius Meyerum sequens cum syllaba *dem* e geminatione sequentis *tem* videatur orta. *opus est]* *opus esset* Orellius Meyerum coniecturam sequens.

Idem spectat Cic. pro Murena 36, 75: *quem* (Africanum)

271) cf. Meyerum Oratt. Rom. fragm. Turici 1842, pg. 175, Eggeri Lat. serm. rell. XXV, pg. 177.

cum supremo eius die Maximus laudaret, gratias egit dis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum natus esset; necesse enim fuisse ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset.

Habita est haec oratio a. 625. 129. Mortuus erat Scipio quinquagesimum sextum annum agens. Praeter hanc Q. Fabii Maximi laudationem alteram a Q. Aelio Tuberone habitam fuisse et Scipionem huius avunculum, illius patruum fuisse, iam supra memoravimus

eo morbo] his verbis docemur Laelium eos esse secutum, qui Scipionem morbo quodam omnibus noto absumtum decessisse crederent. Cicero in libro de amicitia Laelium de hac morte admodum caute disserentem fecit, ipse in oratione pro Milone VII, 16 dicit vim esse illatam nocturnam P. Africano, cf. de hac re Schol. Bob. pg. 283. Orell. De morte Scipionis novissimam instituit quaestionem Franc. Doroth. Gerlach, der Tod des Publius Cornelius Scipio Aemilianus, Basil. 1839 et in studiis historicis, quae prodire Hammoniae 1841.

eodem tempore periit] spectat tempus reipublicae Gracehorum regationibus turbatae.

4. Sueton. Div. Jul. 6: (Caesar) *in amitae quidem laudatione de eius et patris sui origine sic refert:*

Amitae meae Juliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater; a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra, est ergo in genere et sanotitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia dsorum, quorum ipsi in potestate sunt reges 272).

Orationem hanc Caesar habuisse videtur quaestor a. 686. 68, citat eandem Plutarchus Caes. 5, neque vero quae Caesar dixerit, sed quomodo apparatus et oratio sint accepta a populo narrat:

272) Idem fragm. invenitur apud Meyerum frgm. oratt. Rom. pg. 413.

τοῦ δὲ δήμου πρώτην μὲν ἀπόδειξιν τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἔλαβεν ὅτε πρὸς Γάϊον Ποπίλιον ἐρίσας ὑπὲρ χιλιαρχίας πρότερος ἀνηγαρεύθη· δευτέραν δὲ καὶ καταφανεστέραν ὅτε τῆς Μαρίου γυναικὸς Ἰουλίας ἀποθανούσης ἀδελφιδουῶς ὧν αὐτῆς ἐγκώμιόν τε λαμπρὸν ἐν ἀγορᾷ διήλθε καὶ περὶ τὴν ἐκφορὰν ἐτόλμησεν εἰκόνας Μαρίου προθέσθαι τότε πρῶτον ὑφ'αἰσίας μετὰ τὴν ἐπὶ Σύλλα πολιτείαν, πολεμίων τῶν ἀνδρῶν κριθέντων. Ἐπὶ τούτῳ γὰρ ἐνίων καταβοησάντων τοῦ Καίσαρος ὁ δῆμος ἀντήχησε λαμπρῶς δεξάμενος κρότῳ καὶ θαυμάσας ὥσπερ ἐξ ἄδου διὰ χρόνων πολλῶν ἀνάγοντα τὰς Μαρίου τιμὰς εἰς τὴν πόλιν.

amitae Juliae] Julia, C. Julii Caesaris, qui pater erat dictatoris, soror, Marii coniux fuerat.

ab Anco Marcio] eodem spectat Ovid. fast. VI, 803 sqq. (794 sqq. Merk.):

unde trahit Marcia casta genus.

Marcia sacrisco deductum nomen ab Anco,

In qua par facies nobilitate sua.

Valer. Max. IV, 3, 4 *Cn. Marcius, patriciae gentis adolescens, Anci regis clara progenies, cui Corioli — oppidum captum cognomen adiecit.* Ideo quoque in nummis quarundam gentis Marciae familiarum, Numae et Anci Marcii imago invenitur. Cf. Eckhel. doctr. numm. V, pg. 246.

Marcii Reges] Mater C. Julii Caesaris, qui dictatoris pater fuit, et Juliae, Marii conjugis, Marcia fuerat, soror Q. Marcii Regis cos. ann. 636. 118 cum M. Porcio Catone: fast. cons., Plin. hist. nat. II, 31, Gell. noct. Att. XIII, 20.

a Venere Julii] res ipsa satis nota ac trita est, Vellei. II, 41, sed hujus laudationis loci memor videtur fuisse Serv. in Verg. Aen. I, 267: *Cui nunc cognomen Iulo Additur* | — *Et occiso Mezentio Ascanium (sicut J. Caesar scribit) Iulum coeptum vocari (vel quasi Iuloni, i. e. sagittandi peritum, vel) a primae barbae lanugine (quam Ἰούλον Graeci dicunt) quae ei tempore victoriae nascebatur.* Schol. Gronovian. in Cic. orat. pro

M. Marcello pg. 419, (Orell.) *Ac paene divinam | non hoc sine causa dicit. Nam constat Caesarem se jactare divina origine a Venere esse natum. Unde et deus postea appellatus est. Nam et alio loco ait: Semper ***.*

est ergo in genere — sunt reges] Ultima horum verborum sententiam exhibent per omnem antiquitatem haud raro nobis obviam, eandem fere praebet Horat. carm. III, 1, 5. 6:

Regum timendorum in proprios greges,

Reges in ipsos imperium est Jovis,

similem cum amplificata gradatione in Thebanis invenimus Philemonis, cf. Meinekei fragm. comicor. vol. IV, pg. 11:

δοῦλοι βασιλέων εἶσιν, ὁ βασιλεὺς θεῶν,

ὁ θεὸς ἀνάγκης.

5. Serv. in Verg. Aen. I, 712: *pesti devota futurae | — — — Devota vero oratione Augusti translata est locutio, quam habuit in laudatione funeris Marcelli, cum diceret, illum immaturae morti devotum fuisse* ²⁷³). Ea laudatio est habita a. 731. 23, quo anno Marcellus Octaviae, Augusti sororis, filius, quem ob virtutes maternas Augustus adoptaverat, obiit. Verg. Aen. VI, 861—887, Propert. III, 18, Drumanni hist. Rom. IV, pg. 235. 243. II, pg. 402. Augustum eum ex more laudasse Dio Cassius LIII, 30 narrat. Ea, quae Plutarchus tradit in Marcell. 30, Augustum scribere Hamibalem cinerem M. Claudii Marcelli (proavi illius ab Augusto laudati), qui per insidias interfectus esset, Marcello filio misisse, Heerenius (de fontibus et auctoritate vitt. parall. Plutarchi comment. Gotingae 1820) pg. 124 ad laudationem funebrem Marcelli ab Augusto habitam esse referenda censuit, addidit Meyerus frgm. oratt. Rom., pg. 521 locum ex ejusdem Plutarchi comparatione Pelopidae cum Marcello I, teste Augusto Poenos aliquoties a Marcello fusos fugatosque esse referentis.

273) cf. Meyeri oratt. Rom. frgm. pg. 521.

6. Sueton. Div. Claud. I — *cum Augustus tanto opere et vivum (Neronem Claudium Drusum, Tiberii Claudii Neronis et Liviae filium) dilexerit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est, et defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus sit, similes ei Caesares suos facerent, sibi que tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent. Nec contentus elogium tumulo ejus versibus a se compositis exculpisse, etiam vitae memoriam prosa oratione composuit* ²⁷⁴).

Jam supra pg. 67 haec verba ex ultima laudationis parte, quae deorum invocatione finire sit solita, derivata esse videri, monui. In funere Drusi 745. 9 Tiberius quoque laudationem habuit: Dio Cass. LV, 2; orationem Augusti etiam Tacit. annal. III, 5 citat et Dio Cass. LV, 2, qui in Circo Flaminio habitam esse tradit.

Caesares suos] Gaium et Lucium Caesares Agrippae ex Julia filios ab Augusto adoptatos: Dio Cass. LIV, 18 et Hieronym. in Eusebii Chronic. Quantopere hos Augustus ut successores suos dilexerit, quantaque diligentia eos educaverit, satis constat *sibi que]* quam vehementer haec verba animos commoverint etiam apparet ex Ovidii, cujus nomine plerumque signatur, consolatione ad Liviam Augustam de morte Drusi filii v. 209:

Et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum,

tristia cum medius rumperet orsa dolor.

Tu letum optasti, dis aversantibus omen,

Par tibi, si sinerent te tua fata mori.

tam honestum exitum] mortuus est Drusus teste Cassio Dione LV, 1 morbo absumptus, Livio vero (epit. CXL) si credimus, ex cruris fractura tricesimo die postquam ex equo delapsus erat, obiit. Ultimam, quam a. u. 745. 9 susceperat expeditionem Cas-

274) cf. Meyeri frgm. Oratt. Rom., pg. 522.

suis Dio l. l. ita fere enarrat: in Chatterum terram incurrens usque ad Suevorum fines progressus est multis proeliis cum multorum suorum caede commissis. Inde in Cheruscos conversus Visurgim ubi transiit ad Albinum pervenit, quem cum transmittere non posset, tropaeis positis, revertit, in reditu mortuus est antequam ad Rhenum perveniret. Itaque ipse viri exitus felix praedicari vix potuit, nisi quod plerisque novissimorum annorum pugnis feliciter commissis in ipsa expeditione mortem obierat. Sed videntur verba illa, quae citavi, spectasse communem luctum et honores mortuo tributos. Tiberius enim, ubi de morbo eius certior est factus, quam citissime properans vixdum spirantem invenit ac mortuum pedibus Romam comitatus est, portantibus cuiusvis oppidi nobilissimis viris: Dio Cass. LV, 2, Suet. Tiber. 7, Liv. epit. CXL. Ipse Augustus, quamvis asperrima hieme, usque ad Ticinum funebri pompae obviam ierat: Tacit. annal. III, 5.

7. Fragmentum laudationis aevi Augustei marmori incisae.

me patriae redditum a se[na]m nisi parasses quod servar —
inánitur opes suas pollic[er]etur ita non minus pietati tu —
me debeó

5. puid ego nunc interiora n[os]tra et recondita consilia s —
érvam ut repentinis n[unt]iis ad praesentia et imminent —
tus tuis consiliis cons[er]vatus sim ut neque audaci —
temere passá sis et m[odera]tiora cogitandi fida rece —
sociosque consilioru[m] meo[rum] ad me servandum d —
tuam et virum eius C. Clu[viu]m coniunctó omnium per —
10. si attingere coner sat[is ist]i mihi t[ibi]que salutáriter m —
acerbissimam tamen inv[er]to mihi accidisse tuá vice
fatebo —
clive patriae beneficio ut[iud]icio apsentis Caesaris Augusti —
de restitutione mea M. L[epi]dus conlega praesens interp —

- pedes prostrata humi n[on] modo non adlevata sed trá —
15. modum rapsáta livori[bus] corporis repléta firmissimo —
rés édicti Caesaris cum [gra]tulatione restitutionis me —
am contumelioss et cr[ude]libus exceptis vulneribus pa —
ut auctor meórum peric[ul]orum nótesceret quoi noc —
quid hac virtute efficacius praebere Caesari clementia —
20. stodia spiritús mel nota[r]e inportúnam crudelitatem —
patientia
sed quid plura parcamus órationi quae debet et potest f —
opera tractando p[ar]um digne pergamus quom pr —
meritórum tuorum oc . . . omnium praeferam titulum —
25. pácato orbe terrárum res[titu]ta republicá . . . quieta
deinde n —
tempora contigerunt fue[r]unt optati liberi quos aliqua —
derat si fortuna procéde[re] esset passa solemnis Inservie —
strum défuit procedens a[li]ás spem finiebat quid agitav —
que ingredí conata sis f[or]sitan in quibusdam féminis —
30. lia in te quidem minime a[dm]iranda conlata virtútibus —
difidéns féconditati tuae [et do]léns orbitate meá me
tenen —
te spem habendi liberos [dep]ónerem atque eius causa ess —
élocuta es vocuamque [do]mum alterius féconditati t —
mente nisi ut nota concordia nostra t[ibi] ipsa mihi di —
35. dicionem quaereres p[ar]arésque ac futurós liberós t —
que tuis habituram adf[irm]arés neque patrimoni nos —
fuerat commune separ[ati]onem facturam sed in eodem —
et si vellem tuo ministerio [fut]úrum nihil seiunctum ni —
habituram sororis soc[iaeve] officia pietatemque mihi d —
40. fatear neccesses adeo me exac[er]asse ut excesserim
mente adeo —
tuis t[ui]os ut vix redderet [mi]hi agitari divertia inter nos —

- . . . fáto dicta léx esset poss[em a]liquid concipere
 mente qua —
 esse mihi uxor cum paene [ex]ule me vltá fidissima
 perman —
 quae tanta mihi fuerit cu[pid]itás aut necessitás ha-
 bendi li —
45. fidem exuerem mutare[m c]erta dubils sed quid plura —
 aput me neque enim ce[rte] tibi sine dedecore meo et co —
 tate poteram
 tibi veró quid memorabi[lius] quam inserviando mihi c —
 ut quom ex te liberos h[abe]re non possem per te tamen —
50. dentiá partús tuí alteri[us c]oniugio pararés fecunditat —
 utinam patiente utriusq[ue ae]tate procedere coniugium —
 látó me maiore quod i[usti]us erat suprema mihi praesta —
 stite te excederem orbita[te f]iliá mihi supstituta
 praecucurristi fáto delegast[i mi]hi luctum desiderio tuí
 nec llbe —
55. rum rellquisti flectam eg[o q]uoque sensús meós ad iu-
 dicia tu —
 omnia tua cogitata praesc[ripta] cedant laudibus tuís ut
 sint m —
 desiderem quod immort[ali]tati ad memoriam cónsecrat —
 fructús vltae tuae non dérún[t mi]hi occurrente fámá túa
 firmá —
 doctus áctís tuís resistam f[ort]unae quae mihi non om-
 nia éripu —
60. bus crescere tuí memoriam [pas]sa est sed quod tran-
 quillí statús e —
 ámisi quam speculatrícem e[st pr]opugnátricem meorum
 pericu —
 tate frangor nec permane[re i]n promisso possum

- naturális dolor extorquet const[ant]iae vlrés maerore
 mersor et quibu —
 in necutro mihi cónstò repete[ns p]ristinos casús meós
 futurosque eve —
65. cido mihi tantís talibusque pr[aesi]diís orbatus intuens
 famam tuam n —
 tiendo haec quam ad deside[rium l]úctumque reservatus
 videor —
 ultimum huius orationis erit om[nia] meruisse te neque
 omnia contigisse m —
 tibi legem habui mandata tu[a] quod extra mihi liberum
 fuerit pr —
 te di mánés tuí ut quietam pat[ian]tur atque ita tueantur opto.
 Hanc laudationem duabus tabulis marmoreis incisam pri-
 mus edidit Fabretti in: 'inscriptionum antiquarum, quae in
 aedibus paternis asservantur explicatione' Romae 1702, pg. 168,
 323, mutilos locos coniectura reficere studuit pg. 226.
 Accuratus tituli verba exhibuere Marini 'iscrizioni antiche
 delle ville e de palazzi Albani Rom. 1785, pg. 136, Orelli inscr.
 4859, Egger Lat. serm. vetustioris rell. Paris. 1843, LIII, 1,
 pg. 318 sqq.
 Jam Fabretti opinatus est virum, qui hanc habuisset lau-
 dationem, quendam fuisse triumvirorum proscriptione damnatum,
 uxoris pietate, consiliis et opibus conservatum, ac deinde bene-
 ficio Octavii Caesaris patriae restitutum. Philippus a Turre,
 cuius 'observationes in antiquum lapidem ex Raphaelae Fabretto
 inscript. III, pg. 168' apud Orellium inscr. II, pg. 352—355 re-
 petitae sunt, persuasum sibi habet tempus, quo damnatus sit
 restitutus, ex oratione funebri accuratus posse definiri. Inde
 enim, quod absentis Caesaris Octavii, M. Lepidi vero collegae
 Romae praesentis, cuius ad pedes mulier laudata veniam petens
 sese proiecerit sed male accepta sit, fiat mentio, computationem

posse institui. M. Lepidum promulgato edicto de proscriptione a. u. 711 Romae mansisse Octaviano et Antonio in Macedonia bellum Philippense administrantibus, teste Dione Cass. XLVII; nullo alio anno simul et Lepidum adfuisse et Augustum adfuisse.

Fabretti virum, qui uxori laudationem habuisset, consulari fuisse putaverat, quia initio collegae in magistratu mentio incideretur, qua de re Phil. a Turre jure monuit illa voce 'conlega' si laudationis auctorem significaret, Munatium Plancum signatum fuisse illo anno cum M. Lepido consulem. At Munatius Plancus nunquam inter proscriptos numeratus est, itaque Lepidi conlegam non esse alium nisi Caesarem Augustum. Praeterea Phil. a Turre opinionem, quam ipse non magni fecit, profert, censet enim virum proscriptione profligatum uxorisque ope conservatum Q. Lucretium Vespillonem fuisse, cuius acerbam sortem et Thuriae uxoris studiis petitam salutem Appianus de bell. civ. IV pg. 615 narraverit. Consulem eum fuisse a. u. 735 teste Dion. Cass. LIII. Singula recensens quaedam bene concinere animadvertit, cetera sane non congruere, at neque historicum singula neque virum laudatorem persequi debuisset, itaque sese putat profecisse, quantum quidem conjectura eaque incertissima assequi possimus.

Qua de conjectura iure videtur prolatum: Q. Lucretium proscriptum Romam non reliquisse sed ibidem ab uxore conditum fuisse²⁷⁵), at perperam Phil. a Turre ob nimis accuratam temporis definitionem vituperatur²⁷⁶), qui id tantum egerit, ut statueret, quo tempore coniux gravi casu esset profligatus, neque vero quo oratio esset habita. Tamen quum Octavianus a. u. demum 726 cognomen Augusti acceperit ac laudatio hoc cognomine cum nuncupet, oratio post hoc tempus habita sit, necesse

275) Hggar. Lat. semm. rell. pg. 313. 276) ibid.

est, neque abhorret a verisimilitudine mulierem istam quindecim etiam annos post praeclare factum vixisse.

Versibus in fine mutilatis mederi vix licuerit, quum parum constet, quantum spatii ea, quae nunc desiderantur, occuparint, satis amplum fuisse inde patet, quod sensus ubique interruptus est.

In medio versu undetricesimo male *f. . sit an scribebatur.* v. 33. *vocuumque* pro *vacuumque* errore lapicidae scriptum videtur, cujus ex arbitrio signa vocalis longae tum accentus, tum I longum temere posita sunt.

8. Murdiae laudatio funebris a filio habita.

Murdiae L. f. matris

sed propriis viribus adlevent caetera quo' firmiora probabilioraque sint

omnes filios aequae fecit heredes' partitione
filiae data amor maternus caritate liberum

5. aequalitate partium constat viro certam pecuniam legavit ut ju's dotis honore iudicis augetur mihi revocata memoria patris eaque in consilium et fide sua adhibita' aestumatione facta' certas' res testamento praelegavit neque ea mente
10. quo me fratribus meis quom eorum aliqua' contumelia' praeferret' sed memor liberalitatis patris mei reddenda mihi statuit' quae iudicio viri sui ex patrimonio meo cepisset' ut ea n'ssu suo custodita proprietati meae resti tuerentur
15. constitit ergo in hoc sibi ipsa ut a' parentibus dignis viris data matrimonia obsequio' probitate retineret nupta meritis gratior fieret fide carior haberetur' iudicio ornatior relinqueretur' post decessum consensu' civium laudaretur' quem
20. descriptio partium, habeat gratum fidumque animum in viros' aequalitatem in liberos' iustitiam in veritate

- quibus de causeis q. quom omnium bonarum fe'mina'rum
simplex similisque esse laudatio soleat quod
naturalia bona propria' custodia' servata varietates'
25. verborum non desiderant' satisque sit eadem
omnes bona' fama' digna fecisse' et quia adquirere
novas laudes mulieri sit arduom' quom minoribus
varietatibus vita jactetur' necessario communia
esse colenda' ne quod amissum ex justis praeceptis
30. cetera turpet eo' maiorem laudem omnium carissima
mihi ma'ter meruit' quod modestia' probitate'
pudicitia' obsequio' lanificio' diligentia' fide'
pa'r similisque ceteris probeis feminis fuit
neque 'ulli cessit' virtutis' laboris' sapientiae — — —

35. — — — — praecipuam aut certe — — — —

Hoc fragmentum Romae e tabula marmorea descriptum primum
publici juris est factum a Fea in editione sua Winckelmanni
storia dell'arte III. pg. 202, tum ab Orellio inscr. 4860, Eggero,
serm. Lat. rell. LIII, 2, pg. 322. 323, Zello delect. inscr. Rom. 1179.
Niebuhrius ad fragm. Cic. pg. 55 Murdiam hac laudatione orna-
tam eandem fuisse mulierem, quae in fragmento, quod nonum
exhibuimus, a conjuge laudetur, opinatus est. Quam opinionem
certa aut probabili ratione destitutam esse recte Orell. annot. 1
ad n. 4860 atque Egger. pg. 319 monuere.

9. — — — — — — — — — —

dum — — — — —

orbata es ri — — — — —

tudine una o — — — — —

vir sororis tua — — — — —

5. mors parentium — — — — —

tanta cum industria m — — — — —

vindicando ut si praesi — — — — —

haec habes communia cum — — — — —

- quae dum agitabas ex patria dom — — — — dam
10. ne nocentibus supplicio evest — — — — —
adventum meum expectast — — — — —
temptatae deinde estis ut testamen — — — — —
coemptione facta cum uxo — — — — —
tutelam eorum qui rem — — — — —
15. fore expertem quod ema — — — — —
sentia animi restiteris et — — — — —
veritate causam communem — — — — —
hereditatem teneremus qua — — — — —
te ita patris acta defensur — — — — —
20. mares nec sub conditio — — — — —
esset neque enim familia — — — — —
nam etsi patris testamen — — — — —
vis quia gentis ejusdem — — — — — jus
cesserunt constantiae tua — — — — —
25. pietatis in sororem fide — — — — —
rara sunt tam diuturna — — — — —
nobis ut ad annum xx — — — — —
isset mutationem vicem — — — — —
domestica bona pudicitia — — — — —
30. sine superstitione o — — — — —
tate familiae pietate — — — — —
illi quam tuis cura — — — — — cara
matronis dignam f — — — — —
similia inciderunt ut f — — — — —
35. fortuna cavit — — — — —
omne tuom patrimonium — — — — —
neque enim erat eq — — — — — ad c
titi sumus ut ego tu — — — — — ta²⁷⁷)

277) Quae in fragmento sched. Barberin. quinque margini adscripta leguntur, procul dubio διτρογραφαι sunt DAM pro DOM. cet. Orell. inscr. II, pg. 352.

de hac parte omitt — — — —

40. in — — — — —

Hoc fragmentum e schedis Barberinis, quibus inscriptiones etiam alias nonnullas nunc deperditas esse servatas constat, primus dedit Marinius iscrizioni antiche delle ville e de' palazzi Albani. Rom. 1785, pg. 142. Ab Orellio adiunctum est ad n. 4859, quod septimo signavimus numero. Egger in sern. Lat. rell. LIII, § 3, pg. 323 sqq. separatim exhibet, assentiendumque ei videtur nulla apparere indicia, quibus ambo fragmenta esse coniungenda demonstratur.

SENTENTIAE CONTROVERSAE:

1. Ateium Philologum auctorem esse habendum Rhetoricorum ad Herennium.
 2. Quint. inst. orat. X, 1, 104 legendum esse: Habet amatores, nec immerito, Cremuti libertas, quamquam circumcisis quae dixisset innotuerit.
 3. Laudationibus funebribus historiam rerum Romanarum non ita mendosam factam esse.
 4. Soph. Trach. v. 781 sqq. emendandum esse:
 βολῆ δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκράνει μέσου
 κρατὸς διαρραγέντος αἵματοσταγοῦς.
 5. Imperatores triumphantes in Urbem deductos esse per portam Ratumenam.
 6. Petron. sat. 62 esse legendum: gladium tamen strinxi et motavi, (cod. matavitatau) ita umbras cecidi donec ad villam amicae meae pervenirem.
-